



6494. II. M.D.

INBI

*A*

Franciscus Carolus

Schreiber

030026544

ARS  
METRICA,  
SIVE  
ARS CONDENDO-  
RUM ELEGANTER  
VERSUUM.

*Ab uno è Soc. JESU edita*

N U N C

Multorū usū comprobata in  
gratiam Poëseos Tyronum  
cum quodam auctario repressa.



---

LABACI, Formis Joannis Georgij May  
Inclitæ Prov. Car. Typogr. 1713.

294

## АДІЯТЕМ

卷之三

Я-2 СОИДЕНДИ  
ЛУЧИАСЕ И МИ

## AEROSOL

6415235.2025 min 54

O N U T

मित्रों की विशेषता यह है कि वे अपने दोस्तों को अपने लिए रखते हैं।



# LECTORI BENEVOLO.

**P**Rodit in lucem tandem aliquando,  
*Metricæ Artis* opusculum, Lector  
Benevole, quo carere diutiùs sine  
gravi incommodo, magnâque progres-  
sûs decessione, inferiores scholæ non po-  
terant. Quanto Magistris ipsis adjumen-  
to futurum sit, intelliget facile, quicun-  
que in Musarum Disciplina non mediocri-  
ter versatus fuerit; unde non à viris tan-  
tum n re Poëtica leviter eruditis, singla-  
rem libelli hujus Auctor inivit gratiam;  
sed ab ijs etiam, à quibus singulæ Helico-  
nis viæ probè cognitæ sunt, quique ad se-  
cretiora Apollinis adyta penetrarunt; quòd  
nimirum tritum iter à nemine, ingredi  
primus omnium, & calcare cæperit, pe-  
démque in vacuo fixerit perquām felici-  
ter; id ego ut audeam faciunt exultissima  
hominum Doctorum, de opere isto judi-  
cia, quæ meis non semel auribus magna  
usurpavi cum voluptate, quòd ad meam  
sententiam gravissima capita accedere vi-  
derer.

derem. Hanc igitur commendationem  
perpetuæ necessitudini, quæ mihi cum  
illo intercessit, & quam in posterum co-  
lam sanctissimè, tu adscribas nollim. Ego  
sanè ut tibi in aliquam adulationis specie  
incidisse minimè videar, vel ad primum  
provoco, in quod fortè incurris, libri  
hujus præceptum. Certum nihil erit cur  
Auctori succenseas, si fortassis jejenum  
aliquid, aut arctioribus definitum li-  
mitibus tibi occurrerit, totam in me unū  
culpam potius conjice, qui cùm opus hoc,  
ab ejus manibus, nec crebris adhortatio-  
nibus, nec precibus ullis me avellere posse  
sentirem, agrè admodum non ab cun-  
stante modò, sed etiam reluctante, vi  
penè illatâ extorsi, decerptumque imma-  
turum fructum (ut ejus verbis utar) tibi,  
Lector, apposui. Supremam manum  
huic operi accessisse facile crederem, nisi  
me frequenter ille, perfectionem se olim  
admoturum ultimam, & castigatissimam  
speciem affusurum esse monuisset. Tu,  
spero, condonabis, quæ irrepserunt, men-  
da aliquot, meāmque (dum curis sanctiori-  
bus se totum impedit Auctor) diligentia  
effugerunt; illa certè operarum incuria

tribuenda esse, cuique litterato judicare  
pronun erit. Illius interea labore. Tu,  
Lector bonus utere, donec haud paulò  
comptior, & locupletior redeat in lucem  
hic libellus.

Id ego ultimum ejus nomine te moni-  
tum velim, editam esse *Attem* hanc *Met-*  
*ricam* in gratiam potissimum adolescentium,  
qui Primae Grammatices, Humanoribus Literis, & Rheticæ operam  
navant. Quapropter cum tradantur hic  
non pauca, quæ captum illorum quos  
Tertianos vocant, videantur excedere,  
necesse me habere arbitratus sum tibi ex  
eius mente aperire ipso in aditu, quid sit  
illorum accommodatum ingenio, viri-  
busque non impar.

*Tertianis, & humanioribus alumnis priore  
semestri usui esse poterunt.*

1. Figuræ Syntaxeos in Prolegomenis  
explicatæ.
2. Caput Primum, in quo de Epithetorum  
delectu agitur in universum. Et  
Præceptum XIII. in quo de Patronymicis.
3. Caput Tertium, in quo agitur de mu-  
tatione vocum, si sectionem secun-


dam de mutatione substantivi, & sectio-  
nis nonæ partem illam, quæ agit de mu-  
tatione sententiæ per longiorem am-  
plificationem excepereis.

*Humanistis posteriore semestri, & Rhetori-  
bus maximo cum fructu  
tradi poterunt.*

Reliqua omnia hujus Metricæ Artis præ-  
cepta, Vale.



ARS



# ARS METRICA, *SIVE*

## ARS CONDENDORUM Eleganter Versuum.

*Ad Philomuson Adolescentem.*

**H**AUD satis admirari possum (Philomuse charissime) Artem Metricam, quâ nihil usitatius in humanioribus schoulis, nihil magis decantatum in Gymnasijs, nihil ad usum facilius, nihil ad dignitatem præstantius, nihil ad delectationem suavius excogitari potest; ijs præceptionibus haetenus caruisse, quibus perficitur reliquarum artium disciplina. Neque verò id præstitere Grammatici, qui tantum in syllabarum mensuris studium, & operam collocârunt: Neque, qui Artem Poëticam litteris persequi, & explicare aggressi sunt, qui condendorum scilicet versuum ratione prætermissâ, in unam condendorum Poëmatum artem intendere animum, & artem Poëticam potius, quam Metricam descripserunt.


Itaque desiderari videbatur, ut aliquorum, qui essent hujus artis periti, in eo pulvere desudaret industria, & nostris Musarum alumnis ad illigandos primò, deinde ad scribendos eleganter versus aperta, certaque ratio traderetur. Quod quidem etsi eruditæ manūs operam, diuturnæ lectionis studium, castigatique judicij limam postulet; & ab iis omnibus dotibus, si unam lectionem exceperis, imparatum me esse omnino sentias: Quia tamen neminem huic tabulæ manum admovisse haec tenus video, & res per se facilis, & jucunda, tam longo, tamque difficiili tyrocinio adolescentes poëseos candidatos exercere solet; inire consilium apud me cœpi, sin minus id affequi, quod tento, ac certè præire alijs, eosque exemplo provocare meo, ut in eundem ipsi scopum felicitis colliment.

Conabor igitur omnia, quæ ad scribendos eleganter versus Tyronum nostrorum studia promovere possunt, ad certa quædam præcepta revocare, paucisque complecti capitibus. Ac ne diutiùs emorer in ipso lumine, paucis accipe hujus

jus literariæ tractationis, meique consiliij rationem.

Atque ut planiùs fiat, quod deinceps dicturus sum, placet antè definire, quid sit Ars Metrica. *Omnis enim* ( inquit Tullius ) *qua à ratione suscipitur, de aliqua re institutio* debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur. Sic igitur Artem Metricam definiri posse existimo, si dicam *Artem esse illigandorum, condendorumq; eleganter versuum.* Hæc autem illigatio, & structura versuum sex potissimum rebus absolvitur. 1. Pedum, quibus unumquoque carminum genus constat, & quantitatis omnium syllabarum expeditâ cognitione. 2. Aptâ collocatione vocum, & illigatione pedum. 3. Exquisito Selectiorum Epithetorum usu. 4. Vocum, & Phraseon mutandarum ratione multiplici, cùm eæ, quas versamus animo ad metri leges, aut ad Poëticam elegantiam adduci facile nequeunt. 5. Ipsâ vocum, & phraseon elegantia, quæ Poësin sapiat, & Musarum oleat disciplinam. 6. Denique sono ipso, & temperatâ quadam vocum numerosè cadentium

modulatione. Quia verò harum sex partium priores duas sibi vendicârunt Grammatici, eásque Despauterianus Hermes à Despauterij mendis, & erroribus assertas, paucis antè annis explicuit; De alijs duntaxat quatuor agendum superstet; Illudque ipsum est, quod me certis quibusdam præceptis complexurum promisi, & cuius artem modò, si votis Deus annuerit, traditurus sum. Verùm ad rem ipsam antequam aggredior, operæ pretium fuerit nonnullas voces, rudioribus Poësencandidatis haud satis cognitas, & in hac nostra Artis Metricæ tractatione sæpius usurpandas, partim ex figurata Syntaxi, partim ex arte Rhetorica explicare.



# PROLEGOMENA

## Ad Artem Metricam,

*SEU*

## NONNULLA AD HUJUS ARTIS

Tractationem præmittenda.

*Et ad ejus præceptionem scitu  
antè necessaria.*

**N**E igitur Tyro, quem informamus, quoties de figuris Syntaxeos, & de Tropis, figurisque Rheticæ nos audiet loquentes, toties hæreat; quidquid est in eo genere, in quo percipiendo laboret, paucis interrogat junculis, totidemque responsionibus planum, & explicatum faciamus.

---

## Præmittenda ad Artis Metri- cæ Tractationem.

### *Ex figurata Syntaxi.*

*Inter.* Quid est Figura Syntaxeos?

*Resp.* Est nova loquendi ratio à trito, & vulgari sermoneremota, quæ ratione aliqua, vel authoritate nititur.

*Inter.* Quot sunt Figuræ Syntaxeos?

*Resp.* Undecim à Grammaticis numerantur, sed quinque ad hujus, quam tradimus, perceptionem artis sunt nobis cognitum necessariæ.

*Inter.* Quænam sunt illæ?

*Resp.* Istæ, Appositio, Enallage, Eclipsis, Synecdoche, & Hellenismus.

*Inter.* Quid est Appositio, seu, Appositum?

*Resp.* Est figura, quâ plura Substantiva ad eandem rem pertinentia, in eodem casu, & in eadem oratione ponuntur, sine ulla coniunctione, ita ut inter illa Substantiva subaudiatur Relativū, *Qui*, *Quæ*, *Quod*, cum verbo Substantivo Sum. v. g. *Mitto tibi insipidas*, à fabrorum prandia, *betas*. Martial.

*aid* est, quæ sunt fabrorum prandia.

*Nos, b mortale genus, terris remor amur  
inertes,*

*Construimus luteas, c vilia tecta, do-  
mos.* Sautel.

*b* subaud. qui sumus. *c* subaud. quæ sunt.

*Inter.* Quid est Enallage?

*Resp.* Est immutatio, quæ legitimæ con-

constructionis regulas perturbat. Hujus autem figuræ tot esse possunt genera, quot sunt modi, quibus fieri potest hæc immutatio.

Vel enim casus mutantur, ut cùm Virgilius de fatali Equi Troiani machina dixit,

*Illa subit, mediaq; minans illabitur urbi.  
Cùm juxta regulas Syntaxeos dicere debuisset, in medium urbem.*

*Concurrunt, hæret pede d pes, densusque  
viro vir,  
d pro, hæret pes pedi,  
--- vix audior e ulli. Ovid.  
e pro, ab ullo.*

Vel mutantur Tempora v. g.

*--- Quos omnes undique Graæ  
Circumerrant acies, & ni mea cura resistat,  
Jam flammæ tulerint, inimicus & hause-  
rit ensis. Virg.*

Id est, quos Græci circumstant, & quos, nisi mea cura resisteret, jam flammæ abstulissent &c. Hæc erant Veneris verba ad Æneam.

*Ni faciat, maria ac terras, cælumque  
profundum.*

*quippe feran trapidi secum , &c. Virg.*  
*Id est, nisi id faceret, venti mare, terram,*  
*cœlumque ipsum secum impellerent, ac*  
*suis prope sedibus omnino dimoverent.*  
*Fiunt etiam aliquando immutationes in*  
*numeris, personis, & modis: sed hæ pa-*  
*rūm ad institutum nostrum faciunt.*

*Inter. Quid est Eclipsis?*

*Resp. Est cùm in Oratione aliquid de-*  
*est, quod subintelligitur; ut, cùm Virgi-*  
*lius dixit, *Genus unde Latinum*; subintel-*  
*ligendo ortum est.*

*Inferretq; Deos Latio genus unde Latinum,*  
*Albaniq; Patres, atque alta mænia Romæ,*  
*Pari ratione alibi scripsit.*

*Dimeliorapijs, erroremque hostibus illum.*  
*Subintelligendo tribuant pijs meliora in-*  
*jiciant, errorem illum hostibus.*

*Sed vos qui tandem? quibus aut venistis*  
*ab oris?*

*Idem Virg. id est, qui estis?*

*Unde tibi frontem, libertatemque parentis?*  
*Juvenal. subaud. sumes.*

Istæ sunt Eclipses verbi, quia deest in  
 oratione, & subintelligitur verbum ali-  
 quod; aliæ sunt Eclipses præpositionum  
 qui-

quibus nihil frequentius occurrit in Poëtis, præsertim in Quæstionibus Ubi, Quò, Unde.

In Quæstione Ubi. v.g.

*Nulli certa domus \* lucis habitamus opacis.*  
subaud. In, Virg.

*Contendunt ludo, ♂ \* fulvâ luctatur arenâ*  
\* subaud. In, Virg.

In Quæstione Quò. v.g.

*De venere \* locos latos, ♂ \* amena viretæ,*  
*Fortunarum nemorum, \* sedesque beatas,*  
\* subaud. In, Virg.

In Quæstione Unde. v.g.

*Iri decus cœli, quis te mihi \* nubibus actam*  
*Detulit in terras? \* subaud. è Virg.*

Cæteri hujus figuræ modi parùm ad institutum nostrum faciunt.

*Inter. Quid est Synecdoche Syntaxeos?*

*Resp. Est quando adjективum, vel verbum conveniens cum Toto, regit partem Totius in accusativo. Possunt etiam ablativum regere, sed hoc Historicorum potius, atque etiam Oratorum, quam Poëtarum est proprium.*

*Synecdoche in adjetivis nominibus.*

*Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque.*

*Et flavos crines, & membra decora ju-  
ventæ.*

Synecdoche in adjectivis, participijs neu-  
tris, & passivis.

--- *Trepidusque repente refugit  
At tollentem iras, & cœrula collatum ente,  
subaud. serpentem. Virg.*

--- *Scutis protecti corpora longis Virg.  
Synecdoche in Verbis Neutris, & Passivis.*

*Stare loco nescit, micat auribus, & tremit  
artus.*

*de Equo Virg.*

*Nec magis incepto Vultum sermone mo-  
vetur. Virg.*

*Inter. Quid est Hellenismus?*

*Resp. Est oratio quæ in Latina Phrasι  
Græcæ constructionis servat leges, & mo-  
rem imitatur. v. g. Cùm Nominativus  
aliquando pro Accusativo ponitur ut*

--- *Sensit delapsus in hostes. pro, se  
delapsum. Virg.*

*Vel Genitivus pro Ablativo. v. g.*

--- *Define mollium*

*Tandem querelarum &c. pro à querelis  
Horat.*

*Definite ô tandem irarum, caciq; furoris.*

*Millæus.*

*Mox*

*Mox ubi satis lusit, abstineto.*

*Dixit, irarum, calidæq; rixæ. Horat.*

Vel cùm Adjectiva neutra aliquando substantivè usurpantur ; & regunt genitivum v. g.

--- *Ferimur per opaca locorum. id est, per loca opaca. Virg.*

Ita cum eodem Virgilio dicere poteris,  
*Ardua terrarum, angusta viarum, & alia multa, quæ passim apud Poëtas occurrent.*

Vel cùm eadem Adjectiva Neutra in accusativo tùm singulari, tùm plurali sumuntur ad verbialiter. v. g.

--- *Si quando nocte Cometæ Sanguinei lugubrè rubent. id est, lugubre in modum. Virg.*

*Hæret inexpletum lachrimans, ac talia fatur. Virg.*

*Ut vidit fulgentem armis, ac vanam tu- mentem. id est, vanè Virg.*

*Talibus Æneas ardenter, & toruatum entem lenibat dictis i.e. torvum in modum. Virg.*  
vel cùm verbis pugnandi & contendendi pro Alativus jungitur. v. g.

--- *Piacitōne etiam pugnabis amori ? pro, cum amore, Virg.*

*Luctantem Icarijs fluctibus Africum*

*Mercator metuens &c. Horat.*

*Montibus in nostris solus tibi certet  
Amyntas. Virg.*

*Vel cùm Adjectiva, quæ regunt Gerundium in Di, aut Gerundium in Dum cum præpositione Ad, junguntur Infinitivo.  
verb. gr.*

*Indocilis pauperiem pati. pro, ad pa-  
tiendum. Horat.*

*- - - Et nescia fallere vita, pro, fal-  
lendi. Virg.*

*Audax omnia perpeti.*

*Gens humana ruit per vetitum nefas. Hor.*

*Malā ducis avi domum.*

*Quam multo repetet Græcia milite.*

*Conjurata tuas rumpere nuptias. Horat.*

*Id est, ô Pari sinistris auspicijs Hélenam  
ducis in Phrygiam, quam Græcia, &c.*

## Præmittenda ad Artis Me- tricæ Tractationem.

### *Ex Arte Rhetorica.*

**P**Ostquam è figurata Syntaxi ea expli-  
cuimus, quæ ad institutum nostrum  
per-

pertinent, pauca etiam ex arte Rhetorica delibanda sunt, ut noster Poëseos candidatus ijs omnibus, quæ ad Artem Metrictam percipiendam scire ipsum antea necesse est, penitus informetur. Eandem autem, quam paulò antè tenui Interrogandi, Respondendique viam hīc etiam, majoris perspicuitatis gratiā, tenebo.

*Inter.* Quænam igitur ea sunt, quæ ad artis metricæ præceptiones cum fructu audiendas, hujus artis Tyronem ex Rethorum Institutione percepisse necesse est?

*Resp.* Pauca admodum, aliqua ex locis Oratorijs, aliqua ex Tropis, & unum aut alterum ex Figuris.

*Inter.* Quænam ex locis Oratorijs dicisse oportet?

*Resp.* Ista. Quid sit Genus, & Forma, seu species: Quid Totum & Pars: Quid Enumeratio partium: Quid Causa & Effectus: Quid Adjuncta rei, seu Circumstantiæ.

*Inter.* Quid est Genus?

*Resp.* Est quoddam Totum plures continens partes communione quādam sibi similes, specie tamen differentes v. g. *Ar-*

*bor* est veluti quoddam Totum, cuius partes sunt omnes Arborum species, quas significacione suâ complectitur, nimirum. *Quercus*, *Pinus*, *Ornus*, *Cerasus*, *Pyrus*, *Laurus*, *Palma*, & aliæ omnes arbores, quas ubique terrarum profert, & alit tellus. Hæ porrò Arbores in eo conveniunt, quod unaquæque sit arbor: Specie tamen differunt, quia disparem truncum diversos ramos, alia omnino folia, & dissimilimos fructus nobis exhibent. Idem dixeris de Flore, de Colore, de Metallo, de Fluvio, de Pisce, de Vento, de Litore, de Regno, de Populo, de Urbe, & de alijs omnibus vocibus, quarum significatum ad plura diversa pertinet.

*Inter.* Quid est forma, seu species?

*Resp.* Est pars Generi subjecta. Vel, si mavis, formæ aut species sunt eæ partes omnes, quas diximus in Genere includi, seu in illius vocis, quæ Genus est, significacione contineri. Ita species *Arboris* sunt. *Quercus*, *Ornus*, *pinus*, *Cerasus*, *Prunus*, &c. Species *Floris* sunt *lilium*, *Rosa*, *Viola*, &c. Species *Metalli* sunt *Aurum*, *Argentum*, *Æs* &c. quædam etiam quasi

quasi specie *Populorum* sunt, Galli, Hispani, Germani, Itali, Belgæ, Angli, &c. Et sic de alijs.

*Inter.* Quis est illud aliud Totum, quod paulò ante Generi & Speciei subjunxisti?

*Resp.* Est Totum aliquod, compositum ex partibus, ex iubus integratur, quod nulli earum Partium seorsim sumptæ, sed omnibus simul, & in uno colectis convenit. Postremum autem illud Totum quod multi Rethores cum Genere confundunt, ideo distinguendum putavi, quod reverâ diversum sit, & præcepti-  
nibus nostris magnam sit allatura lucem hujus Totius præcipua quædam & singularis explicatio. Ac ne cui quidquam in eare ambiguum, & obscurum relinqua-  
tur, cuius appellationem Totius, à genere distinguemus, alterumque dicemus To-  
tum Genericum: quid enim magis gene-  
ricum quam ipsum genus? Totum inte-  
grale alterum, quia scilicet ex pluribus  
partibus integratur.

Jam verò Exempla Totius inregralis esse poterunt *Domus ex tecto, parietibus,*  
*tabu-*

tabulatis, fenestris januisque constructa  
atque composita; *Annus* in quatuor divisus  
tempestates; Totus *Oceanus* in varia di-  
stinctus *Maria*; *Navis* è pupi, prora, ca-  
riña, transtris, malis, vels, antennis, &  
cætro nautico à apparatu compacta, & in-  
structa; *Regnum*, aliquo: provincias, &  
urbes plurimas complectens, &c. Ut au-  
tem videoas ijs omnibus quadrare defini-  
tionem Totius Integræ à me traditam,  
id uno exemplo confirmetur. *Annus*  
est Totum ut dixi, integrale, cuius par-  
tes sunt *Ver*, *Æstas*. *Autumnus*, *Hyems*.  
ijs omnibus, si conjunctim accipientur,  
annus convenit, licet enim affirmare ver,  
æstatem, autumnum, hyemem, annum es-  
se: at eraret ille, & ab omnibus rideretur,  
qui ver aut æstatem annum esse palam af-  
ferere auderet. In Toto Generico longè  
aliter accidit; de quocumque enim flore  
licet dicere, v. g. *Rosa* flos est, *Viola* flos  
est, *Narcissus* flos est, & sic de cæteris.  
Quia Totius Generici significatio in sin-  
gulas ejus partes etiam divisas à cæteris  
cadere potest ex ijs porrò, quæ de Toto  
Integrali diximus, haud est difficile per-  
spice-

spicere quid sit pars Integralis, & quomodo à partibus Generi subjectis distinguaenda sit.

*Inter.* Quid est Enum eratio Partium?

*Respb.* Est Oratio, quâ Totum Genericum, vel Totum integrare in suas partes distribuitur v. g. si per Enumerationem partium vernam florum pulchritudinem describere velles, recensendæ essent variæ florum species, quæ incoronarijs hortorum pulvinis verno tempore collificant. Si vultus allicujus esset laudanda modestia; frontis majestatem, oculorum gratiam, genarum pudorem, denique mirâ conditam suavitatem modestiam, toto apfersam vultu describere.

*Inter.* Quid est causa?

*Respb.* Est id ex quo vel per quod, vel à quo vel propter quod aliquid fit. Unde quatuor distinguuntur genera causarum. *Materia* ea nempe, ex qua, vel in qua res sunt. *Forma*, id per quod res una in se ab alijs omnibus rebus distinguitur. *Causa efficiens* à qua efficitur eares quæ propter reā dicitur effectus. *Causa finalis*, propter quam aliquid fit. v. g. aurum est *materia*.

ex

ex qua fit nummus. *Forma* est appressa nummo imago Principis. *Causa efficiens* est monetarius nummi opifex. *Causa finalis* est, ut mutuum inter homines commercium his nummis facilius iniri, & conservari possit.

*Inter.* Quid sunt adjuncta, vel (ut alij loquuntur) Circumstantiae?

*Resp.* Sunt ea, quae cum re, aut cum persona non necessariō conjuncta sunt. Quapropter alia sunt adjuncta rei, alia persona.

Adjuncta rei sunt Locus, Tempus rei faciendae Modus, & præsidia, quibus ad eam faciendam usi sumus.

Adjuncta persona, sunt omnes animi, corporisq; dotes, & affectiones quas vel à natura vel ab institutione, & consuetudine hausimus. Cujusmodi sunt *in animo*, vis celeriter intelligendi, recordandi, &c. Aut ingenij tarditas, atque memoriæ; Indoles recti suâ sponte amans, aut ad vitium proclivis; Scientiæ, Virtutes, & Vitia: *In Corpore*, pulchritudo, deformitas, labor; canendi, saltandi, ludendi, peritia, &c.

*Inter,*

*Inter.* Quid sunt Antecedentia, & Consequentia?

*Resp.* Sunt ea, quæ rem necessariò antecedunt, aut consequuntur. Ut ortum diem necessariò antecedit Aurora; & ortum solem necessariò dies consequitur.

*Inter.* De locis oratorijs audivi quid te dictum esse receperas, age modo ad illos, quos dixeras, Tropos Figurásque eveniamus, & primò quidem edifere mihi, quid Tropum, quid Figurarum nomine intelligas?

*Resp.* De Tropis dicam primò, deinde de Figuris, Tropus est Translatorum verborum usurpatio, verba verò translata, ea sunt, quæ à propria significatione, in alienam transferuntur. v. g. Cum dicimus, *Pratarident*, vox illa *rident*, à propria significatione, nempe ab homine, ad vernam pratorum amænitatem traducitur.

*Inter.* Quot sunt Tropi?

*Resp.* Plurimi sed tres dundaxat ex ijs feligam, Metaphoram, Synecdochem, & Metonymiam, ex quibus præcipue, elegantiae Poëticæ venustas efflorescit.

*Inter.* Quid est Metaphora?

*Resp.*

*Resp.* Est Translatio verbi ab uno, cui proprium est, ad aliud, cui non est proprium; quod quatuor modis potest accidere.

1. Quando sit translatio à re animata, ad rem inanimam. Ut cùm Virgilius dixit.

- - - *Pontem indignatus Araxes.*

Id est araxes fluvius non passus impositum sibi pontem. Ubi vox, *Indignatus*, quæ convenit homini; fluvio pontem incurentium aquarum impetu labefactanti tribuitur.

2. Quando transfertur alicujus vocis significatio à re inanima, ad rem animatam. v. g. Virgilius fluctuationem, & æstum, quæ sunt maris, & aquarum propria: transfert ad commotiones animi explicandas cum, dicit.

*Sœvit amor magnoq[ue] irarum fluctuat æstu.*

3. Quando translatio fit à re animata ad aliam rem animatam, ut videre est in hoc Lucani versu.

- - - *Crinémque rotantes*

*Sanguineum, Populis ululârunt tristia Galli.* Id est, Cybeles Sacerdotes, Galli dicti, cruentatum caput agitantes, dira populis vaticinati sunt. Ubi vides ululatum à Populis ad homines transferri.

4. Quan-

4. Quando à re inanima ad rem pariter inanimam fit translatio, ut cùm Æneæ Ensem, Jaspide stellarum, ducta à Cœlo Metaphorâ dixit Virgilius.

--- *Atque illi Stellatus Jaspide fulvæ ensis erat.*

*Inter.* Quid est Synecdoche?

*Resp.* Est 1. Cum Pars Integrales pro Toto ponitur, ut puppis, aut carina pro navi.

--- *Pictasque exure carinas.* Virg.

2. Cum Totum Integrale, pro parte sumitur, ut cùm Virgilius pro aqua ex Tyberi, & Fabari Sabinorum fluvio, bibendo haustâ ipso Tyberis & Faberis nomine usus est.

*Qui Tyberim, Fabarimque bibunt.*  
Quâ phrasî horum fluviorum accolâ intelligit.

3. Cùm species usurpatur pro genere: v. g. quia pæsti Lucaniæ oppidi celeberrimæ olim erantrosæ, inde factum est, ut à Poëtis quæcunque rosæ per Synecdochem pæstanæ dicerentur.

*Pæstanis rubeant æmula labra rosis.* Mar.

4. Cum pro specie genus usurpamus.

Ita

Ita Horatius nocturna sydera minores  
ignes appellavīs, cūm ait

--- *Velut inter ignes*

*Luna minores.*

5 Cūm materiam sumimus pro re, ex  
ea, facta; ut pinum pro navi, ferrum pro  
ense, arborem pro remis. Ita Virgilius.

*It gravis Auletes, centenāque arbore flu-  
etum verberat.*

6. Cūm antecedentia pro consequenti-  
bus usurpantur. v. g.

*Et jam summa procul villarum culmina  
fumant.*

*Majorésque cadunt altis de montibus  
umbræ.* Virgil.

Id est nox adventat, quia illa occasum  
solis, & noctis adventum antecedunt.

7. Denique cum unus pro pluribus po-  
nitur. v. g.

--- *Primosque trucitant*

*Immissi Danai, & latè loca milite com-  
plent.* Virgil.

*Inter.* Quid est Metonymia?

*Resp.* Est 1. Cum sumuntur causæ pro  
effectis, aut inventores pro rebus à se in-  
ventis, aut Dij Elementorum Præsides,  
pro ipsis Elementis, v. g.

*Cere-*

- - - Cererémque canistris

*Expediunt.* Id est, panem cuius confi-  
ciendi artem Ceres invenit. Virg.

- - - Et multo in primis hilarans convivia  
*Baccho.*\* Virg.

\* Id est vino, cuius in ventor Bacchus ex-  
titit.

- - - Totis Vulcanum \* spargere tectis.  
Virg.

\* Id est ignem.

2. Cùm Effecta pro causis usurpantur. v.g.

*Quis Gracchi genus, aut geminos duo ful-  
mina Belli.*

*Scipiadas, Cladem\* Libyæ.* Subaud. Si.  
lentio prætereat? Virg.

\* Id est authores, & causas multarum cla-  
dium Libyæ illatarum.

3. Cùm pro contento ponitur Conti-  
nens. v. g.

- - - Fæmineis ululant plangoribus ades.  
\* Virg.

\* Id est Fœminæ ijs ædibus inclusæ.

4. Cùm possessor sumitur pro re pos-  
sesta. v. g.

- - - Jam proximus ardet  
*Ucalegon.* Id est, vicina Ucalegontis  
Domus, Virgil.

5. Cùm

5. Cùm signum usurpatur pro re significata: v. g.

*Non illum populi fasces, non purpura Regum Flexit Virgil.*

Per Fasces, Consulatum; per Purpuram, Regiam dignitatem intelligit: quia fasces sunt insignia Consulatūs, purpura est Regiæ dignitatis nota.

Neque signum tantum pro re significata (uti hactenus ostendimus) usurpare licet: Sed res etiam significata vicissim pro signo haut sanè ineleganter usurpatur, v. g. Cometæ iram Superūm significant, cum diras mortalibus clades à Superis immitendas prænuntiant. Si igitur Poëticis numeris illiganda tibi esset hæc sententia, *Durus Cometes flammam suam* (multorum scilicet malorum nuntiam, & irratij mortales Numinis signum certissimum) *per Europam circumtulit.* Ita cum eximio hujus ætatis Poëta diceret, *ardentes Superūm circumtulit iras* En modo ille rem totam paucis versibus elegantissimè reddidit.

*Iostquam sanguineo feralis crine Cometes  
Terruit aspectu populos, flamæque minacis*

*Pro-*

*Prodigio*, ardentes superum circumtulit  
iras. Ita Frizonius.

Ecce, quæ de Tropis dicenda habui, quibus si duas tantum figuras verborum, ad hanc, quam instituimus, tractationem necessarias, adjunxero, nihil deinde erit, quominus ab hujus veluti Metricæ Artis vestibulo, ubi te haec tenus moratus sum, in penitiora ædium arcana protinus admittaris, & quidquid ad eam Artem pertinet, statim exploratum habeas.

*Inter.* Quænam igitur sunt duæ illæ figuræ?

*Resp.* Apostrophe, & Repetitio.

*Inter.* Quid est Apostrophe?

*Resp.* Est figura, quâ sermonem ab auditore ad alium avertimus. Ut cùm Virgilius Æneæ Clypeum describens, ubi inferorum pœnas in eo expressas attigit, Orationem ad Catilinam convertit, quem ijs torqueri existimat.

--- *Addit\**

Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis.  
Et scelerum pœnas, & te, Catilina minaci  
Pendentem scopulo, furiarumque oratremen-  
tem. Virgil.

\*Subaud. Vulcanus , cuius arte , & industriâ Clypens ille conflatus est.

*Inter. Quid est Repetitio ?*

*Resp. Est, cùm idem Verbum sæpius in oratione iteratur ; seu (ut alij malunt) cùm ab eodem verbo sæpius incipit oratio. v.g.*

*Tempore difficiles veniunt ad aratra Juvenci.*

*Tempore lenta pati frena docentur Equi.*

Ovid.

*Tenamus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ,  
Teliquidi flevère lacus. Virg.*

## C A P U T<sup>ad</sup> I.

### *De Epithetorum delectu.*

**C**irca propositum Epithetorum delectum , illud in primis ab omnibus Elegantiæ Poëticæ studiosis diligenter observandum est , ut accommodatissima sint Epitheta ad hujus rei, qua de agitur, argumentum ; Id est ut non solùm substantivo, cui tribuuntur , quām aptissimè convenient, sed etiam ut vel novam quandam toti sententiæ vim adjiciant, vel novum aliquod

aliquid ei lumen, & decus affundant. v.g.  
Sit hæc Epithetis ornanda, & suis illigan-  
da numeris. *Eheu Posthume, labuntur anni,*  
*nec pietas moram rugis, & senectæ, & morti*  
*afferet.* Vide quām eleganter id Horatius  
præstiterit, Ode. 14. lib. 2.

*Eheu fugaces, Posthume, Posthume  
Labuntur anni, nec pietas moram  
Rugis, & instanti senectæ  
Afferet, indomitæque morti.*

Hanc etiam sententiam ab eodem Hora-  
tio exquitissimis Epithetis ornatam, ad-  
mirare. *Ne quicquam Deus terras Oceano  
abscidit, si tangenda rates vada transfilum.* Id  
est, frustra DEI Providentia terras à mari  
disjunxit, si nihilominus homines audent  
navigare. Sic enim ait Ode. 3. lib. 1.

*Ne quicquam DEUS abscidit  
Prudens, Oceano dissociabili.  
Terras si tamen impiæ.*

*Non tangenda rates transfilum vada.*

Quām eleganter dixit prudentem Deum, in  
hac marium, rerrarūmque distinctione:  
*Impias rates, quod divinæ providentiæ le-*  
*ges violare quodamodo videantur: Non*  
*tangenda vada, maria scilicet, quæ Deus vi-*

detur idcirco infinitis propemodum Syrtium, Scopulorum, procellarumque cinxisse periculis, ne unquam homines pelago se committere, illudve attingere auderent.

Verum ut in usitatori carminum generis res tota planior fiat, adverte animū ad hanc Martialis Sententiam, ab omnibus primò nudam Epithetis, suisque numeris solutam, tum deinde illustratam Epithetis, & suis pedibus illigatam. *Sic hamus indulget piscibus: id est, pisces allicit, sic esca decipit feras.*

*Sic avidis fallax indulget, ~~piscibus~~ hamus,*

*Callida sic stellas decipit esca feras.*

Idem, agens de felicitate illius, qui relictā urbe ruri exiguis opibus contentus, ac beatus vivit, & cui licet ante focum exponere plenas nemoris, & ruris plagas; cui licet piscem setā ducere, & mella de cado promere cui villica mensas onerat, & cinis non emptus præparat ova; sic ait lib. i. Epigram.

*Cui licet exigui nemoris, rurisque beati*

*Ante focum, pleras explicuisse plagas.*

*Et piscem tremulā salientem ducere setā,*

Flavâque de rubro promere mella cado.  
Pinguis inæquales onerat cui villica mensas,  
Et sua non emptus præparat ova cinis  
Lucanus lib. 4. Pharf. describens famen,  
quâ Cæsar's castra apud Ilerdam in Hi-  
spania premebantur, sic habet.

Jânsque comes semper magnorum primæ  
malorum.

Sæva fames aderat, nulloque obfessus ab hoste  
Miles eget: toto censu non prodigus emit  
Exiguam Cererem. Proh! lucri pallida tabes!

Non deest prolate jejunius venditor auro.  
Quid eâ descriptione ornatius? quid ele-  
gantius? quam gravibus Epithetis alio-  
rum famen exaggerat, aliorum avari-  
tiam infectatur? fuerunt enim qui in  
tantæ famis angustijs, oblatâ pecuniâ,  
panem alijs venderent, quo se ipsi susten-  
tare debuissent.

Sautelus noster, cuius in versibus tam  
exquisitus, & elegans est Epithetorum de-  
lectus, ut cum illo paucos admodum à re-  
centioribus Poëtis hac in re conferri posse  
existimem; Cùm in Allegoricis Lusibus de  
Bombyce ait, ejus præcordia tumere filo,  
& alvum ei opes suggere, quam egregijs, &

30  
accommodatis ad id Epithetis rem totam  
explicat.

*Auricomō pretiosa tument præcordia filo,*

*Fœtaq; inexhaustas suggestit alvus opes-*

*Quia verò non alienis solum, sed etiam*  
*suis exemplis debet alios instituere, qui*  
*fuscepit docendi munus, afferam scri-*  
*ptum à me olim Epigramma, in quo stu-*  
*dui, quantum in me fuit, Epithetorum*  
*delectui. Argumentum erat de Christo,*  
*qui, rogante sanctissimâ ejus Matre, in*  
*Canæ nuptijs aquam in vinum mutavit.*

*Casta verecundæ volitatem dum pocula mensa,*

*Divinaque pius voce sacratur Hymen:*

*Deficiunt vacui genialia vina lagenis,*

*Quiq; deest cyathis, transit in orarubor.*

*Suppuduit sponsos; aderat sed proxima vitis:*

*Exprimit inde novum conscia Virgo*  
*merum.*

---

## CAPUT II.

### *De Arte adhibendi Epitheta.*

**V**Idisti hactenus, Elegantioris Poëseos  
studiose Lector, quantum Epitheta,  
si recte adhibeantur, Poëtarum car-  
mini-

minibus decus , & ornamentum concilient. At sciscitari mihi videris , num ars aliqua tradi possit , cuius præcepta ad hujusmodi excogitanda Epitheta , & ad exquisitiorem eorum delectum , viam nobis aliquam aperiant. Nullam equidem , ut monebam hujus dissertationis initio , memini ejus rei artem haec tenus ab ullo de industria fuisse traditam. Quapropter cùm in Poëtarum Lectionem , paucis abhinc mensibus solito studiosius & oculis , & animum intendere cœpisset , & vidisset omnia ferè Epitheta , quibus inest præcipuus quidam cultioris elegantiæ lepos , ad certa quædam capita revocari facile posse ; artem illam excogitavi , cuius tibi modò rationem totam explicare aggredior. Sic enim apud me statui ; quemadmodum ex animadversione Eloquentiæ naturalis nata est benedicendi ars , quam Rhetoricam dicimus : ita etiam ex animadversione suavioris , probatorisq ; Poëseos , illam de qua nunc agimus , Epithetorum artem colligi posse.

Ut autem certiorem inirem hujus artis inveniendæ viam , quærere apud me cœpi ,

unde potissimum orationi nostræ decor  
& ornamentum accederet; unde concilia-  
retur ei, toties à dicendi magistris laudata  
illa gratia novitatis, quâ respersa, mirum  
quàm suaviter in aures, & ab ijs in ani-  
mum influat, quâque destituta, fastidium  
illico parit, & teretes ac delicatas aures  
ingrato admodum sono verberat.

Neque verò existimabam procul abesse  
elegantiae Poëticæ fontes, ubi quis depre-  
hendisset, unde illa manaret perpolitæ  
oratorum facundiæ suavis, & elegans in  
dicendo gratia. Si enim allusiones ad Fa-  
bulam, quibus tingi, & colorari debet Poë-  
tarū dictio; Si figura quasdam, & concita-  
tores affectus, in quibus Poëtæ paulò ef-  
feruntur liberius; si denique paucas voces  
ijs proprias, ac veluti domesticas & fami-  
liares exceperis. In reliqua omni oratio-  
ne cum Oratoribus Poëtæ conveniunt.  
Et quidquid illorum sententijs aliquam  
dignitatis, & gratiæ lucem affundit, ho-  
rum etiam versus similibus illustrat pig-  
mentis, ijsdemque leporibus illigat.

Quæ cum in animo tacitâ cogitatione  
versarem, occurrit, illud quod olim in ar-  
tem

tem Rheticam commentarios meditati venerat in mentem , nullâ re magis orationem splendescere, quâm Troporum lumibus , ac præsertim Metaphoræ venustate. Ita est profectò reperet orator sine translatorum verborū dignitate ; eorum sine gratia displiceret , sine acumine frigeret. Ut enim concedam conflatâ ex proprijs vocibus orationem , esse perspicuam : at certè cum Aristotele lib. de arte Poëticâ cap. 22. Eam sine translationibus nego esse magnificam , splendidam & sublimem. Quæ fortè ratio eundem Aristotalem induxit , ut assereret de fæcati præstantissimiq; ingenij certissimum in ijs Metaphoris signum elucere ; Et Ciceronem , ut in Oratore crebriorē hujusmodi translationum usurpationem commendaret.

Atque illud est sanè , quod in eo , in quo versamur , Metricæ artis Argumento , mihi deinde usu ipso , & animadversione competum est . Vidi nullam ferè in Poëtarum versibus reperiri vocem , elegantiori aliquâ venustate conspicuam , quæ non aliunde translata , & alienæ rei tributa esse videretur. Quid autem mirum cur harum

maximè vocum elegantia nobis arrideat,  
nósque adeò Metaphora delectet? Cùm  
enim vox à propria significatione in aliam,  
atque à patrío, ut ita dicam, solo in alienas  
veluti terras traducitur, in eo alienæ  
regionis solo, peregrina nobis apparet, &  
nova; atque adeò pulchram illam, quā  
tantopere delectamur, novitatis gratiam  
conciliat oratori. Enīm verò ita sumus à  
natura comparati, ut nobis peregrina ma-  
gis placeant, quām nostra, nova quām ob-  
soleta, inusitata quām ea, quæ quotidie  
cadunt sub oculos, fuco & pigmentis or-  
nata, quām ea, quæ nativo splendore sine  
ullo artis mendacio collucent. Cùm igi-  
tur tibi vox aliqua apud Poëtas suavius,  
& elegantius quiddam sonare videbitur  
pro certo habe, hanc illi à novitate qua-  
dam, sub cuius te specie delectat, gratiam  
& venustatem accedere; novitatem verò  
ferè semper à Translationibus oriri. Igitur  
ut hanc Poëtarum Elegantiam in Epithe-  
tis primūm distinctiùs, & apertius explic-  
arem, varios Translationum modos exco-  
gitavi, intra quos omnia sum complexus,  
quæ ad ejusmodi Epithetorum exquisi-  
tiorem

tiorem delectum pertinere existimavi.  
Sit itaque primus ille modus, seu



### PRÆCEPTUM I.

*Aptè, eleganter, cum delectu adhibendi  
Epitheta.*

**E**Pithetum Personæ conveniens ele-  
ganter tribuitur.

1. Hujus personæ affectui, ut cum  
Virgilius ait

— — — Sævæ memorem Junonis ob iram.

Id est, Junonis memoris & sævæ.

Attenuant Vigiles corpus miserabile cu-  
ræ. Ovid.

Id est, curæ hominis noctes insomnes  
transigentis.

— — — Mutum premit ille dolorem.

Id est, ille mutus premit dolorem.

2. Hujus personæ signo. Ita Lucanus.

— — — Et pila minantia pilis

Inter Romanorum Insignia erat pilum,  
telum missibile, quo Romani milites in  
Bello utebantur.

— Atque hanc sine tempora circum,  
Inter viætrices, hæderam tibi serpere, lau-  
ros.

*Idest, victoris Imperatoris lauros.*

*Signaque jam patriæ vincere docta sua,*  
*Propert.*

*Id est, signa seu vexilla militū, qui docti  
 erant, qui sciebant patriæ suæ vincere.*

*3. Hujus personæ instrumento. Virg.  
 Trojogenas, ac tela vides inimica Latinis.*

*Virgil.*

*Id est tella eorum, qui sunt Latinis inimici.*

*Ausus inexpertas remis audacibus undas  
 tentare.*

*Id est, ipse audax ausus remis tentare  
 undas.*

*4. Denique hujus personæ actione v.g.  
 --- Intexens gravibus docta otia curis.*

*Frizon.*

*Id est, ipse doctus otia, seu studium inter-  
 xens gravibus curis.*

Milliæus petulantium militum Christo  
 purpurâ induto, & spinis coronato illu-  
 dentium irrisiones, & attrocem impiæ fa-  
 bulæ contumeliam describens, *ludum* vo-  
 cat. Epithetum addit à procaci militum  
 impudentia, & *Petulanten* dicit:

*Visa cohors circum petulante insistere ludo.*



## PRÆCEPTUM II.

*Apte, & eleganter adhibandi Epitheta.*

**E**PITHETUM effectū propriū multū. Habet elegantiae, si causæ tribuatur: v. g. Cūm Sautelus de Bombyce dicit.

*Auricoma Pretiosa tument præcordia filo.*  
Pretium, quod setico filo propriè convenit, ad ejus causam, nempe Bombycis præcordia transferunt.


*Cunctajacent flammis, & tristi mersa fa-*  
*villâ Martial.*

Tristitia pertinet ad luctum, quem hæ flammæ sparso longe, latèque incendio excitârunt; & ad luctū causam, ipsas videlicet flamas traducitur.

*Oblivioso Levia Massico.*

*Ciboria exple.* Horat.

Vini liberius hausti effectus est ebrietas, quæ animum solvit curis, adeò ut miseriarum oblitus suarum ebrius, in effusam hilaritatem totus abeat. Igitur oblivious est ebrietas, & ab ea istud Epithetum ad Massicum, vinum generosissimum transfertur.



## PRÆCEPTUM III.

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

**E**legantiæ quoque multùm habet Epithetum causæ, tributum effetui. verb. gr.

*Sirenas hilarem navigantium pœnam,  
Blandásque mortes, gaudiumq; crudele,  
Quas nemo quondam deserebat auditas,  
Fallax Ulysses dicitur reliquisse, Martial.*

Vide ut Epitheta ista, *hilarem blandes, crudele*, quæ Sirenibus convenient, tribuantur cum elegantiæ antithesi, gaudio quod creabant, pœnæ quâ efficiebant, morti quam inferebant.

*Dum meditor Bombycis opus, textique sepulchri.*

*Fila per artificem sape reducta globum.  
Sautel.*

*Artifex est Bombyx, qui globum sericum mirabili contexit, artificio: sed illud Epithetum eleganter ad globum illum sericum à Bombyce contextum traducitur.*

PRÆCEPTUM IV.

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

**E**Pithetum Totius integralis eleganter tribuitur Patri, ut cum Martialis raptū ab aquila Ganymedem describens, ait.

*Æthereas aquilâ puerum portante per auras.*

*Illasum timidis unguibus hæsit onos.*

Timebat aquilâ, ne Puerum læderet nungibus, quapropter Poëta timorem eleganter à Toto ad Partem, ab aquila ad ejus ungues transfert.

Pari ratione in Ovidiana Epistola penelope viduas vigie suas manus.

*Nec mihi quarenti spatio sum fallere noctem*

*Lassaret viduas pendula tela manus.*

Ita quoque apud Horatium Nereus vocat adulteros Paridis crines.

- - - *Heu serus adulteros  
Crines pulvere collines.*

Id est serò tandem trahêris mortuus.


Idem Horatius injuriosum dixit fortunæ pedem, quo Principes de solio deturbat, eorumque authoritatem quasi columnam stantem evertit.

*Purpurei metuunt tyranni  
Injurioso ne pede proruas  
Stantem columnam.*

Ita denique nuper Christianæ Subaudiæ  
Duci , Serenissimi Ducis filij faustas fe-  
stasque nuptias gratulaturus eleganti car-  
mine elegantissimus Poëta Salyus , Epi-  
thetum Dominæ à Toto ad partem  
transferens ejus fronti , quam omnes co-  
ronant majestatis radij , jure sanè opti-  
mo , & eleganter attribuit.

--- *Palliumque soluta severis*

*Legibus , & Dominæ deponens nubila fron-  
tis &c. P. Bertet.*



## PRÆCEPTUM V.

*Aptè , & eleganter adhibendi Epitheta.*

**E**Pithetum Partis Integralis proprium ,  
eleganter à Parte ad Totum traduci-  
tur ; & nomen partis per Synecdochen  
figuram Syntaxeos accusandi casu effer-  
tur. Ut si poëticè reddenda , & pedibus  
illiganda esset ista sententia.

*Ipse habens tempora redimita lauro  
triumphali.*

Epithetum *redimita*, quod temporibus seu capiti convenit, à Parte ad Totum transferres, & dices, *Jpsē redimitus tempora*, in qua phrasī *tempora* est accusativus, qui regitur per Synecdochēn, ut dixi, ab adjectivo *redimitus*. Sic denique tuum versum condères.

*Jpsē triumphali redimitus tempora lauro.*  
Ita de Ænea dixit Virgilius.

*Os, humerōsque Deo similis.*

Id est, Os humeros habens similia Deo.

Idem Virgilius cùm dicere vellet Ser- ranum jacere ebrium, & habentem membra multo vino *victa*; ita per Synecdochēn Syntaxeos hanc sententiam reddidit.

- - - *Multoque jacebat*

*Membra Deo victus.*

Ubi Epithetum *victus* à membris, nempe à parte ad Totum traducitur.

Pari ratione Tursellinus ait,

*Jlicet ingenti mentem perculta dolore*  
Et Joninus.

*Tensa comā ferro succrescit latius arbor.*  
Vide, quæ de Synecdohe figura Syntaxeos scripsi in hujus Tractationis prolegomenis, ubi aliquot Syntaxeos figu-

ras

ras explicui, plurimisque exemplis illustravi.

**P R A E C E P T U M VI.**

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

**E**PITHETUM rei contentæ proprium  
non invenustè tribuitur continenti.  
v. g.

--- *Non ferrea jura*

*Insanumque\* forum, aut populi tabula-  
ria \* vidit*

\* Id est insanos homines qui forum fre-  
quentant \* gallicè legreffè.

*Non mihi materiam Belatrix \* Roma  
Negabat, Ovid.*

\* Id : Romani bellatores.

*Succurrunt timidis sydera navibus Sen.  
Timor à nautis ad navestransfertur.*


--- *Et quidquid Græcia mendax  
Audet in historia Juven.*

*Mendax* est EPITHETUM hominibus in  
Græcijs contentis conveniens, quod Toti  
Græciæ tribuitur.

*Dant strepitum rauci per stagna Loqua-  
cia Cycni. Virgil.*

*Loquacitas, seu cantus est Cygnorum, qui  
intra*

intra stagnorum ambitum continentur proprius, & à cyncnis ad stagna transferuntur, quæ loquacia dicuntur à Poëta.



## PRÆCEPTUM VII.

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

**E**PITHETUM rei inanimæ, aut sensu parentis proprium eleganter confertur in rem animatam, & sensu præditam. Ut cùm de Charonte dixit Virgilius.


- - - Sed cruda *Deo viridisque senectus.*  
Hæc duo Epitheta plantarum, arborum, fructuumque sunt propria, & senili hominis ætati tribuuntur.

Pariratione Valerius Flaccus roseam dixit Juventutem.

- - - *Et roseæ perfudit luce juventæ.*  
Claudianus dixit pectora nulli perula culpæ ducto à rebus corporeis Epitheto, & ad res animi translato.

Talia flamato \* secum dea corde volvans. Virgil.

\* Id est, itâ accenso, ducto ab igne Epitheto.



## PRÆCEPTUM VIII.

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

**E**PITHETUM REI ANIMATÆ CONVENIENS ELEGANTER ADJUNGITUR REI INANIMÆ.

Ita Lucanus describens vestitatem, quam Italiæ civile bellum intulerat, dicit agros diu culturâ caruisse, & defuisse manus, arvis poscentibus  
*Horrida quod dumis, multosque inaratae per annos,*

*Hesperia est, desuntque manus poscentibus arvis, &c.*

Horatius cinerem ~~dolosum~~ dixit, quod occultum foveat ignem, quo incauti adurantur.

- - - *Et incedis per ignes*

*Suppositos cineri doloso.*

Ovidius *emeritum* dicit aratum, postquam arator diurno labore defunctus est ducto Epitheto ab ijs, qui legitimo tempore militiæ perfuncti muneribus, missio-nem à Ducibus impetrârant.

*Rusticus emeritū palo suspendat aratum:*  
 Virgil. fluvios dixit *minaces*, cùm in flu-  
 ctus

Etus assurgunt ducto Epitheto ab animalibus irâ concitatis.

- - - *Fluvios tentare minaces*

*Audet, & ignoto sese committere ponto.*

Claudianus describens aquilam, suos pullos ad solis radios explorantem sic habet.

*Consulit ardentes radios, & luce Magistrâ*

*Natorum vires, ingeniumque probat.*

Ubi vides quam eleganter, Epithetum ab hominibus dictum luci tribuatur.

Tursellinus quoque eleganter Magdalena non invento Christi corpore lugentem, & affixam sepulchro Christi *Videt* describit.

*Illa autem mærens, viduoq; affixa sepulchro.*



## PRÆCEPTUM IX.

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

Epithetum cuiquam rei conveniens, elegantiae venustatem, & vim acuminis secum pulcherrimam invehit, si tribuatur substantivo Metaphorico, vel Metonymico, pro verorei nomine usurpato: v. g. Virgilius describere volens exercitum videt Militum Hastas, cum Aristarum

starum acuminibus, totumque Exercitum cum Segete posse conferri, igitur pro vero Exercitus nomine substituit, & usurpat Metaphoricè nomen *Segetis*. Huic inde voci addit Epithetum, quod exercitui convenit, illam enim *Segetem Ferream vocat*, & ait

--- *Utrinque phalanges*

*Stant densæ strictisque Seges mucronibus  
borret Ferrea.*

Eadem ratione, alibi pro *pane* usurpat Metonymicè nomen Cereris, cui adjungit Epithetum *panis proprium* cùm dicit *Cererem laboratam*, & ut magis Poëticè loquantur *Dona laboratæ Cereris*.

--- *Onerantque canistris*

*Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.*

Ita Martialis nivem **vocat** *densem vellus tacitarum aquarum*.

*Aspice quam densum tacitarum vellus aquarum.*

*Defluat invultus \* Cæsaris, tñque sinus.*

\* id est in statuam Cæsaris.

*Cabillavus Tauri cornua Metonymicè  
vocat, Taurinæ frontis gloriam, quā postea*

*Epi-*

Eipitheto à cornibus ducto , vocat *cornea* ,  
sic enim eleganter de juvenco scripsit.

*Cornea cui fruticat Lunata gloria frontis.*  
Ita plumbeas ænearum fistularum glandes , Metonymicè vocavi *mortem* , & adjuncto Epitheto herum glandium proprio , *mortem Plumbeam* , cùm dixi :

*Totis volitat mos Plumbea castris.*

Sed felicissimus in hoc Epithetorum gener refuisse mihi videtur Sautelus noster Vide , quām eleganter uno disticho lactis candorem , quām suaviter ejus dulcedinem exprimat ; illud enim vocat Metaphorice *nectar fluitans* , & *liquidam nivem*.

*Jamque coronatis fluitanti nectare labris ,*

*Spumabat liquida fætilis urna nive.*

Illos Poëtas imitabere , si volantium apum examen voces *nubem stridulam* . Si Vinum dicas , *ignem liqu dum* . Si flores appelles , *terrestria sydera* . Si pulchrum genarum rubore voces , *purpureum juventæ lumen* , &c.

Sic Mambrunus vir de re Poëtica optimè meritus *Horti Circæi* descriptionem exorditur.

*Mollior hæc Cæli facies , hæc largior æther  
Vestit odorato florentes Lumine campos , &c.*

## P R A E C E P T U M X.

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

**I**nterdum vis, & Elegantiae multùm inest Epithetis, quæ adjunctam habent aliquam negationem. Ut cùm Horatius dixit.

*Audire magnos jam videor duces.*

*Non indecoro pulvere sordidos*

Et Virgilius

*Pocula si quando sævæ infecere Noverca,  
Miscuerintq; herbas, & non iñoxia verba.*

Idem, alibi referens ad Inferos Salmonei Regis Elidis pœnam, qui per Aheneum pontem quadrigis vœctus, & faces jaculans, tonitrua & fulmen imitari voluit sic habet.

*Divumque sibi poscebat honorem*

*Demens, qui nimbos & non imitabile  
fulmen.*

*Ære, & cornipedum cursu simulârat  
equorum.*

Idem quoque descripturus Æneæ clypeum, in quo Nepotum Æneæ fata, & tota historiæ series à Vulcano inscripta fuerat, sic ait.

Hastamque, & Clypei non enarrabile  
textum.

Subaud. Æneas miratur.

Similiter Lucanus dixit, nec sine quadam  
Emphasi.

- - - Non unus transfigit ensis  
Viscera.

Id est, multis ensibus confoditur. Posset  
quoque in eodem argumento dicere,

- Animam non uno in vulnere ponit.

Martialis felicem, ac beatum prædicans  
eum, qui liber ab omni urbana solicitu-  
dine, & modicis contentus opibus, ruri de  
suo vixit, eaque vivendi ratione maximè  
delectatur; sic scribit.

Pinguis inæquales\* onerat cui villicamensas,  
Et sua non emptus præparat ova cinis.

\* Id est, non eodem semper instructus ap-  
paratu.

In hunc sensum, & in eodem argumen-  
to dixit Horatius huic ruris, & rusticæ vi-  
tæ cultori, horna vina ( id est, quæ eodem  
anno lecta, confectaq; sint) uxorem è dolio  
depromere, & dapes inemptas apparare.

Sabina qualis, aut perusta solibus,  
Pernicis uxor Apuli,

*Sacrum \* vetustis extruat lignis focum  
Lassi sub adventum viri, &c.  
Et horna dulci vina promens dolio,  
Dapes inemptas apparet.*

\* Id est, Laribus.

In eundem etiam sensum, de eodem suis arboribus decerpente maturos fructus, aut hortensia colligente ad cœnari olera, dicere possis.

*Dapibusque oneratur inemptis.*

Egregiè Milliæus Pharaonem in mari rubro cum jam fluctibus absorbendus esset furijs agitatum, & tristissimo dolore anxium describens, ait:

*Quem circum iuriæ vblitant, atræqu remordent.*

*Et fodunt curæ non consolabile pectus*  
Paulò antè idem Poëta de aquis utrinque supra Ægyptios suspensis, quos erant moributuræ, & quibus imminens naufragium minari videbantur ; dixerat,

--- Stat terror utroqu

*Margine per summas pelagi malè pensilis oras.*

Hic adverbium *malè* vim habet negationis.

Claudamus hæc exempla, Elegantissimi Poëtæ strophe Sapphicâ, qui ad Alphonsum Cardinalem Richelium, olim oden scribens, his eum verbis compellavit  
*Princeps; disertæ flummen adoreæ,*  
*Alphonse, mentem cui Sapientia*  
*Musæque finxerunt paratam*

Non humiles agitare curas. P. Bertet.

PRÆCEPTUM XI.

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

POëtæ non invenustè interdum per comparationem Epitheta nominibus adhibent v.g.

Rex erat Æneas nobis quo justior alter  
Nec pietate fuit, nec bello major, & armis  
Virgil.

*Et juxta comes\* Euryalus quo pulchrior  
alter*

*Non fuit Æneadūm Virg.*

\*Subaud. aderat.

--- Inde ferarum

Vastatorem Amycum, \*quo non felicior  
alter

Ungere tela manu, ferumque armare veneno  
Virgil.

\* Subaud. Interfecit.

--- Vident, indignâ morte peremptum  
Misenum Æolidem, quo non præstan-  
tior alter  
Ære, ac iere viros, Martemque b accen-  
dere cantu.

a Id est, ærei tubâ Syneccdoche. b Id est,  
bellum Metonymia.

--- Cadit & Ripheus, justissimus  
unus

*Qui fuit in Teucris, & servantissimus  
æqui, Virg.*

Id est, occiditur.

--- Seniörque Galesius,

Dum paci medium se offert, Justissimus  
unus

*Qui fuit, Ausoniusque olim ditissimus  
arvis. Virg.*

\* Subaud. occisus sternitur.

Millæus scelus atrocissimum, sic per  
comparationē gravi Epitheto exaggerat-

--- Quo non immanius ullum

*Instigat Regum furias, & provocat enses.  
Huc referri potest Epithetum, Hic & Ha-  
melior, & Hoc melius, quod si recte usur-  
petur, elegantissimum est.*

Ita sanctissimam, & mitissimam parentem,  
cui sit malè moratus omnino filius, recte  
sic compellabis.

*Digna parens meliore nato.*

Ita de puerō egregijs animi, corporisque  
ornato dotibus, & immaturā morte præ-  
repto dices.

*Digne puer meliore fato.*


Ita Deiphobus in Troiana urbis expugna-  
tione interfectus; ab Ænea, quem videbat  
in Inferis, discessurus sic eum alloquitur.

*Decus nostrum, melioribus utere fatis.*

Virgilius alibi de priscis Trojanæ gentis  
Heroibus sic habet.

*Magnanimi Heroes, nati melioribus annis.*

Quia Trojæ expugnationem, & incen-  
dium non viderant.



## PRÆCEPTUM XII.

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

Futura Participiorum pro Epithetis  
usurpata, multum elegantiæ nonnun-  
quam in versum invehunt.

Ita Lucanus Phænices literarum inven-  
tores celebrans, eleganter scripsit.

*Phœnices primi, famæ si creditur, ausi  
Mansuram rudibus vocem signare figuris.  
Idem, de Civilibus Bellis, sic antea scrip-  
serat.*

*Bella geri placuit, nullos habitura\* triumphos.*

\*Quia nullus decernabatur ijs triumphus,  
qui in Civilibus bellis vicissent.

Non minus eleganter Virgilius de pinu  
dixit,

*Nascitur & casus abies visura marinos.*

\*Id est, futura aliquando navis.

Idem, de Choræbo in medios Græco-  
rum globos se immitente, ut Cassandra  
ab eorum manibus, si posset, eriperet; aut  
salem eam aliquot Græcorum nece ulci-  
siceretur; sic habet

*Non tulit hanc speciem furiata a mente  
Chorabus,*

*Et se se medium injectit moritus b in  
agmen.*

*a Quod Cassandra, cuius nuptias ambie-  
bat, à Græcis capta abduceretur. b Certus  
ac paratus mori.*

*Phario \* nutantia pondera saxeo.*

*Quæ cineri vanus dat ruitura labor. Mart.*

Id est, Mausolea magnifica, quales sunt  
superbae Ægyptiorum pyramides.

## P R A E C E P T U M    XIII.

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

**P**OËTÆ eleganter ducunt Epitheta à no-  
minibus Patronymicis. Patronymica  
dicuntur ea nomina, quæ à proprijs deri-  
vantur Patrum, Matrum, Avorum, Re-  
gum, Conditorum Urbium, Imperato-  
rum Regionum, & Locorum nominibus;  
& Filium, aut Filiam, aut Nepotem, aut  
**ex** Posteris aliquem; aut è gente aliquâ,  
vel regione oriundum significant.

Quorum Patronymicorum nominum  
ut facilior, & expeditior sit usus, è re fore  
existimavi, quæ multis paginis Despaute-  
rius de Patronymicis tradidit, ea paucis  
contrahere, & tibi, si fortè ex animo ex-  
ciderint, in memoriam revocare.

Patronymica igitur nomina vel termi-  
nantur in *des*, & sunt masculina, ac primæ  
declinationis, ut *Æolides*, *Æoli filius*, aut  
nepos. Vel terminantur in *as*, & *is*, & sunt  
fœminina, ac tertiae declinationis, ut

Æolis gen. *dis.* Æoli filia, vel neptis. Thestias gen. *dis.* Thestij neptis, aut filia. Vel terminantur in *ne*, & sunt etiam fœminina primæque declinationis, ut *Nerine* gen. *es.* Nerei filia.

A nominibus in *a* & *as* formantur Patronymia in *ades*. Ut ab *Ilia* Romuli matre, fit *Iliades*, id est, Iliæ filius. A *Pheretias* fit *Pheretiades*, id est, filius Pheretiæ. Ab *Æneas* tamen *Æneides* Æneæ filius, & *Æneadae* Æneæ comites fuere appellati.

A nominibus in *es* formantur Patronymica in *ades*, ut ab *Hipotes* fit *Hipotades*. Et in *eades* saepius, ut ab *Anchises* formatur *Anchisiades*; à *Laertes* fit *Laertiades*.

A nominibus in *us* ducuntur Patronymica in *ides* penultimâ brevi. Ut à *Priamus*, *Priamides*. Quædam tamen penultimam producunt, ut *Lycurgides*, *Bellides*, *Amphiaraides*.

A nominibus in *ius* fiunt Patronymica in *iades* Ut *Menetiades* à *Menetius*.

A nominibus in *eus* derivantur Patronymica in *ides*, penultimâ longâ. Ut ab *Atreus*, *Atrides*, à *Tidens*, *Tidides*, &c. sed ab *Otreus* formatur *Otriades*.

A nominibus tertiae declinationis formantur Patronymica in *ides*, penultimâ brevi. Ut *Agenorides* ab *Agenor*. *Æsonides* ab *Æson*. Sed nomina in *as*, & Polysyllaba in *on* ejusdem tertiae declinationis, Patronymica formant in *iades*. Ut *Abantiades*, à nomine *Abbas* & *Laomedontiades* à *Laomedon*, à *Scipio* formatur *Scipiades*.

Patronymica Fœminina in *as* & *is*, formantur à Patronymicis masculinis in *des* ablatâ syllabâ *de* V. gr. à *Thaumantiades*, ( *Thaumantis filius* ) fit *Thaumantias*, *Thaumantis filia*. à *Tantalides* fit *Tantalis*.

Quædam Patronymica Fœminina utramque terminationem habent, *as* & *is* v. g. dicimus *Atlantis*, *idis* & *Atlantias*, *adis*. *Atlantis filia*, vel *neptis*.

Patronymica fœminina terminata in *ne* formantur à Genitivo in *i* nominum in *us*, & Dativo in *o* nominum in *ius* addendo *ne*. Ut *Nerine* à Genitivo *Nerei*, & per contractionem *Neri*. *Neptunine* à *Neptuni*. *Acrifione* à Dativo *Acrisio*.

Non affero multa exempla, quibus ostendam quomodo fuerint à Poëtis usurpata pro Epithetis ejusmodi Patronymica

Nec gemere aëria cessabit Turtur ab Ullmo  
Virgil.

Id est, palumbes (*quæ sunt*) tua cura : seu  
quæ tibi sunt curæ ; vel, erga quas afficeris.

*Ah malè quæsiti* (Damnorum semina)  
Nummi !

Id est, nummi (*qui sunt*) semina Damno-  
rum, seu malorum omnium arigo.

*Curia Prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,*  
*Pellitos habuit* (rustica corda) *Patres*  
Propert.

Id est, Curia, quæ nunc Senatorum præ-  
textâ ornatorum confessu insignis est,  
olim Pellibus duntaxat indutos habuit Se-  
natores (*qui erant*) rustica corda, seu ho-  
mînes rustici, humanitatis expertes, & ur-  
banæ consuetudinis prorsus ignari.

*Poma coronatos curvania pondere ramos*  
*Arboribus pendent* (munus edule)  
suis. Sautel.

*Exulat hinc & morbus iners, & curva*  
*Senectus,*

*Et dolor, & trepidi* (pallida turba) *metus.*  
Idem,

*Nam male ceratas agitans puer Icarus alas,*  
*In medijs perijt* (fleibile pondus) *aquis.*

Idem : Hos

Hos imitantus Illusterrimus Dominus Boësius, clarissimum hujus ævi litteratorum lumen, scripsit Pyrocrene.

*Cedite Sicanij, vatum mendaria fontes.\**

\*Id est, fontes (*qui estis*) vatum mendacia.

Et ego clarissimum illum virum imitatus cùm Epigramma aliquando scriberem, ita exorsus sum.

*Cedite Palladiæ priscorum gloria, turre*

*Cedite romulei tecta superba Jovis.*

\*\*\*\*\*

## PRÆCEPTUM XV.

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

**O**bservanda sunt diligenter à Tyrone nostro, dum lectioni Poëtarum dat operam, Epitheta quædam, quæ peculiare aliquid, & eximum sonant, quæq; miram habent elegantiam, si recte, & opportunis locis adhibeantur. Duo de omnibus tantùm proponam, & aliquot exemplis illustrabo, ex quorum perspecta, & observata elegantia, de alijs facile poteris judicare. Sunt autem ista *Notus*, & *Conscius*.

**NOTUS, A, VM,**

Virgilius Cervum describens, qui pri-

ma fuit Æneæ, & Rutulis mutuis se & primùm levioribus prælijs laceſſendi, tum acerrimi ineundi belli ocassio ; sic ait.

*Ille manum patiens, mensæq; assuetus herili,  
Errabat Sylvis rursusq; ad limina nota,  
Ipse domum serā quamvis se nocte ferebat*  
Virgil.

Idem narrans nocturnum Græcorum ad Trojæ littora reditum, post simulatam fugam, & sparsum rumorem de suo in Græciam discessu, sic refert.

*Et jam Argiva Phalanx instructis navibus ibat,*

*A Tenedo tacitæ per amica silentia Luna,  
Littora Nota petens.* Virg.

Idem referens turpem aliquot Græcorum formidinem , qui , cùm Trojanorum in quos inciderant, sustinere impetum non possent, fuga sibi consuluere , & intra cavum Equi lignei uterus , unde ad urbis expugnationem prodierunt, iterum abdide se se ; ita rem exequitur.

*- - - Pars ingentem formidine turpi  
Scandunt rursus equum, & notâ condun-  
tur in alvo.*

Lucanus similiter eodem eleganter est usus

usus Epitheto , cùm Arimiensium sibi à vicino Cæsare malè metuentium pavorem describit

Ut Notæ fulsere Aquilæ, Romanaqz signa;  
Et celsus medio conspectus in agmine Cæsar:  
Diriguere metu.

Ita Horatius.

Incipit ex illo montes Appulia notos  
Ostentare mihi.

Idem, Ode. 2. lib. 1. ad Augustum, ubi eluvionem terrarum, Deucalionis & Pyrrhæ Fabulâ celebrem, ex occasione attingit, sic habet.

Piscium, & summâ genus hæsit ulmo,  
Nota quæ sedes fuerat columbis, &c.

Ita denique Martialis de liberto, & amanuensi suo.

Illa manus quondam studiorum fida meorū  
Et felix Domino, notaque \* Cesaribus.

\*Quia ejus carmina à Cæsare legebantur.

C O N S C I U S , A , U M.

Virgilius de Didone mortem sibi mox allaturâ sic scribit.

Testatur moritura Deos, & conscienti\*  
Sydera.

\*Id est, infortunij sui.

Idem

Idem, allibi de Entello post lapsum ad pugnam redeunte.

*Acrior ad pugnam redit, & vim suscitat irâ  
Tum pudor incendit vires, & conscientia\* virtus  
Id est, suarum virium non ignara; vel (si  
mavis) sciens quanta haec tenus cum laude  
in simili palæstra dimicasset.*

Idem quoque, cùm Euryalum mox interficiendum narraret, ob missam à Niso saggitam, quâ Tagus confixus ceciderat, describit Nisum de amici Euryali salute sollicitum, è latebris suis prodeuntem, & se hujus necis auctorem ultro fatentem.

*Me, me, adsum, qui feci, in me convertite  
ferrum.*

*O Rutuli, mea frâns omnis, nihil iste nec  
ausus,*

*Nec potuit, Cælum hoc, & conscientia sydera  
testor.*

Lucanus de remotioribus Africæ populis sic habet.

*Et gens si qua jacet nascenti conscientia Nilo  
Et Martialis de Domitiani natali die,*

*Cæsaris alma dies, & luce sacratiōr illâ,*

*Conscientia Dictæum, quâ tulit Ida Jovem.*

Dixi aliquando de quodam, cūjus litteræ

ab adversarijs interceptæ, criminis, cuius accusabatur, fidem astruebant.

*Hæc charta sceleris conscientia, & testis tui  
omnes retexit impiæ fraudis dolos.*

Et de alio, qui mœrore in solitudinem abductus, rupes compellat ad sui doloris solatium.

*O vos doloris conscientiae rupes mei.*

Denique de Judith ad necandum Holofernem Betuliâ exeunte, & ad Assyriorum castra contendente, sic scripsi aliquando.

*Egreditur portis audax, & conscientia formæ  
Castra inimicia petit, blandâsque arcessere  
fraudes.*

*Cogitat, insuetus meditans nova prælia bello.*



## PRÆCEPTUM XVI.

*Aptè, & eleganter adhibendi Epitheta.*

**T**otum hoc de Epithetis caput visum est eodem monito claudere, quo ex cogitatæ à me eorum arti explicandæ, paulò antè factum est initum. Illud autem monebam, dandam esse in primis operam, ut nullius Epitheti delectum faceremus, quod non peculiari quâdā ratio-

ne vel ornaret sententiam, vel ejus vim,  
& significationem augeret.

Quapropter exploratum nobis, penitusque perspectum esse debet illud, quod tractamus argumentū: perpendenda sententiarum omnium vis, & cuiusque vocis natio sensusque tenendus est: Tum demum quærenda Epitheta, quæ singulis vocibus, reique propositæ argumento, quam fieri potest, optimè convenient.

## CAPUT III.

### *De Mutatione Vocum.*

**Q**uidquid de Mutatione vocum, in eo, in quo versamur, genere dici potest, eò ferè spectat ut, vel aliter reddantur adjectiva, aut Substantiva Nomina vel mutentur, Numeri, Casus, Conjunctiones, Ordo constructionis, verborum Modi, & Tempora; vel unius, aut alterius vocis accessione, augeatur phrasis. Quæ omnia ut rectè, & ordine persequamur, totidem distinguemus sectionibus, quot se offerent, diversæ in phrasi mutantæ res, diversæque mutandi rationes.

At cùm mutandarum vocum rationem  
me traditurum promissi, ne quæso illud ita  
dictum existimes, quasi nihil aliud. nisi  
multam Synonymorum supellectilem ex-  
positurus sim. Hæc enim mutandi ratio,  
ut nihil habet artis, ita præceptoris non  
eget industriâ. Meum autem in hac vo-  
cum mutatione, cuius artem aperio, Con-  
silia est non tantum studere metro, ut  
numerus carminis impleatur; sed præte-  
reà efficere, nulla ut sit vox, quæ non su-  
boleat Parnassum, & à Musarum institu-  
tione profecta esse videatur. Si quæ igitur  
erunt voces, non ita ad stylum Poëticum  
accommodatæ, aut cum metri legibus  
non rectè cohærentes, laudatâ illorum  
copiâ, qui Synonymorum Indices texue-  
runt, aliâ tamen ratione, & meo quidem  
judicio, elegantiùs mutari posse, sequen-  
tibus præceptionibus, te, qui hæc legis,  
vel teste vel judice, contendeo.



## SECTIO I.

*De Mutatione Adjectivi.*

Variæ sunt Adjectivi mutandi ratio-  
nes.

1. *Enim*

1. *Enim levi admodum factâ mutatione, Adjectivum Nomen substantivè per Hellenisimum usurpari potest, atque ita mutabitur in substantivum *ellynicon*. Ut cùm dicimus *Amara Curarum*, pro, amaræ, curæ *Ardua terrarum*, pro, arduæ terræ *Opaca lecorum*, pro, loca opaca. *Deserta viarum*, pro, viæ desertæ. *Cœli supera*, pro, Cœlum superum. *Cœli convexa*, pro, cœlum convexum. Cùm denique dicimus, alta montium :ima vallium :amœna collium densa sylvarum.*

*-- Per sylvas, & per deserta viarum*

*Ibat. Id est per desertas vias.*

*Ecce ascendentem, & Cœli supera altarentem,*

*Dum tacidis omnes animis, oculisque tueruntur, &c. Mambrun.*

2. Mutari potest adjективum, in substantivum Metonymicum. Ut si dicamus *Laudatur pudor*, pro, laudantur pudici.

*Seditio ventorum, pro, venti Seditiosi Inclemensia Divum, pro, divi inclemenses, &c.*

*--- Verum inclemensia Divum  
Has evertit opes Virgil.*

*Pela-*

--- Pelago indignante minaci

\* Hadria ventorum seditione tumet.

\*Id est, mare Hadriacum.

Postquam Epulis, Bacchóque modum laſ-  
ſata\* voluptas.

Imposuit. Lucan.

Id est, homines voluptatibus mancipati.

Quod a Pelagus, Nilusque dedit, quod lu-  
xus binani.

Ambitione furens, toto quæſivit in orbe,  
Non mandante fame.

a Id est quos cibos. b Id est, homines luxui  
dediti.

3. Adjectivum possessionem signifi-  
cans, mutari potest in substantivum rei  
possidentis. In hunc modum dicimus Pa-  
tris ædes, pro, ædes patriæ Matris lachry-  
mæ, pro, lachrymæ maternæ. Cœli regia,  
pro cœlestis regia. Romæ Theatra, pro,  
Romana Theatra.

Jam pridem cœli nobis te Regia, Cœsar,  
Invidet. Virg.

--- Depulsus ab ubere matris. Subaud.

Agnus.

Post matris lachrymas. Est hoc lemma,  
quod P. Menestrier.

In Heroico suo D. Augustini symbolo pendentem è palmiteracem referente ingeniosè, ut cætera solet omnia, nuper adscripsit.

4. Mutari potest Adjectivum in Substantivum nomen, rei factæ, aut faciendæ modum significans. Ut cùm de Græcis, qui in Equi Trojani uterus, unde paulò antè exierant, Trojanorum persequentiū metu, abdiderunt sese, ita scripsit Virgilius.

*Pars ingentem formidine\* turpi  
Scandunt rursus equum, & nota condun-  
tur in alvo,*

\* Id est, pars turpiter formidantes, rursus in equi uterus se recipiunt.

Et cùm Ovidius scripsit, *cavit provida  
cura ducis*, pro, Dux curans, & providus cavit.

*Cætera ne simili caderent labefacta ruindæ.  
Cavit sacrati provida cura ducis.*

5. Mutari potest Adjectivum in Substantivum materiæ. v. g. dici potest, *Ebur cythara*, pro, cythara eburnea. Ita aliquando cecini.

*Et cythara vocalis ebur, sub pollice docto  
Ingemit.*

*Ite,*

Ite gemma, & aurum corona, pro, corona  
geminea, & aurea licebit dicere.

--- *Gemmisque, auroque corona*

*Exornat regale caput.*

Plura hujus rei exempla in Sectione se-  
quenti dabimus, num. 4.

6. Mutari potest Adjectivum, è Positi-  
vo in Comparativum. v.g. *Quo non præ-  
stantior alter*, pro *præstans*.

*Quo non formosior alter*, pro *formosus*.

7. Mutari potest Adjectivum in adver-  
biū ut cùm dicimus, *Lenè sonant Zephyri*  
pro *lenes Zephyri sonant*.

---

## SECTIO II.

### *De Mutatione Substantivi.*

**N**ON pauciores, nec minùs elegantes se  
offerunt, Substantivi, quām adjectivi  
motandi, rationes. Cùm enim è Rheto-  
ricæ Tropis ferè omnes deductæ sint, & in  
ijs translationis, quem tantopere laudavi,  
decor effulgeat, existimare cuique facile  
est, quantus ex ijs, orationi Poëticæ splen-  
dor accedat. Quod ut exemplis constet  
liquidiùs, ad varios, quos affero, mutandi  
substantivi modus animum quæso adver-  
tite.

1. Quot

## I.

Quot esse vidimus mutandi in substantivum adjectivi modos , totidem ferme sunt mutandi in adjectivum substantivi rationes. Unam subjicio , ex qua reliquæ omnes facilè deducentur.

Mutari potest Substantivum rei possidentis in adjectivum significans possessionem. Ut cùm dicimus ,

*Patriæ virtutes* , pro , virtutes Patris.

*Pacatumque reget Patrijs virtutibus or-  
bem* Virgil.

*Ora puerilia* , pro , ora pueri.

*Induit ecce amnis puerilia* , vitreus ora.

Bidermanus.

*Littoreæ arenæ* , pro arenæ littoris.

— — — *Nam littoreis populator arenus  
Imminet.* Lucan.

*Casus marini* , pro maris casus , seu pericula.

— — — *Etiam ardua palma*

*Nascitur , & casus abies visura marinos.*

Virgil.

*Romanæ acies* , pro acies Romanorum.

*Ergo inter se sè paribus concurrere telis  
Romanas acies itorum videre* Philippi  
Virgil.

## II.

Mutari potest substantivum speciei, in substantivum Genericum, modò Generi addatur Epithetum proprium speciei; atque hæc mutandi ratio elegantissima est, ut videre est in sequentibus exemplis.

<i>Substant.</i>	<i>Substantivum</i>	<i>Epithetum</i>
<i>Speciei.</i>	<i>Genericum</i>	<i>Proprium speciei.</i>
	<i>Gens</i> ---	<i>Ætheris Incola.</i>
<i>Avis</i>	<i>Cohors.</i>	<i>Pennata</i>
	<i>Agmina</i>	<i>Sonora Volantūm</i>
<i>Aquila</i>	<i>Ales</i>	<i>Jovis Armiger</i>
	<i>Volucris</i>	<i>Titania</i>
<i>Gallus</i>	<i>Avis</i>	<i>Nuntia Lucis</i>
<i>Hirundo</i>	<i>Ales</i>	<i>Veris Prænuntia</i>
<i>Philomela</i>	<i>Nemorum</i>	<i>Siren Plumea</i>
		<i>Humanæ vocis</i>
<i>Psittacus</i>	<i>Ales</i>	<i>Æmula.</i>

---

<i>Pisces</i>	<i>Genus</i>	<i>Æquoreum</i>
	<i>Populus</i>	<i>Natantūm</i>
	<i>Greges</i>	<i>Squammigeri</i>
	<i>Gentes</i>	<i>Flucticolæ</i>
	<i>Agmina</i>	<i>Muta natantium.</i>
	<b>D</b>	<b>Lau us</b>

Laurus

Arbor

Phæbæa

Apollinea

Venturi Præscia

Veneri Sacra

Veneri Gratissima

Myrtus

Arbor

Paphia

Cupressus Arbor

Feralis

Opes

Vernæ

Flores

Munera

Hortensia

Floræ

Rosa

Sydera

Terrestria

Aurum

Flos

Pæstanus

Metallum

Fulvum

Lapis

Parius

Marmor

Dalmaticus,

Quæ Arboribus tribuuntur hic Epi-  
theta, ea quoque earum ramis, & frondi-  
bus tribui possunt.

## III.

Mutari potest Substantivum generis,  
in Substantivum speciei, maximè in de-  
scriptionibus, ubi multò jucundiùs & e-  
legantiùs est singularum, quas describi-  
mus rerum species persequi, quam earum  
dundaxat genera recensere,

V.G. in descriptione veris, hoc tibi  
argu-

argumentum proponatur, *Flores in hortis micant*, elegantiū dices, *Rosa*, vel, *Rosa purpura in hortis micant*; & sic de cæteris floribus, qui colorum suorum gratiam, & admirabilem varietatem verno tempore, in hortis explicant.

Ita Horatius lib. I. Carm. Od. 1. pro quo-vis vento, *Africū*, & pro quolibet Mari. *Icarios fluctus*, seu *Icarium mare usurpat.*

*Luctantem*, Icarijs fluctibus, Africum, *Mercator metuens*, *otium*, & *oppidi*  
*Laudat rurasui.*

## IV.

Mutari etiam eleganter potest nomen substantivum rei alicujus proprium, in nomē materiæ, ex quā res illa facta est. Ut cùm usurpatur *Ebur* pro cythara eburnea, *aes* pro tuba ærea, *ferrum* pro enfe, aut telo, aut quibusvis alijs armis ferreis: *robur* pro clava roborea: *pinus* pro navis pinea: *aurum* pro freno aureo, poculo, & alijs rebus ex auro conflatis: *arundo* pro arundinea sagitta, & pro fistula arundinea: *cerae* pro cereis majorum imaginibus, v. g.

*Ære\* ciere viros*, *Martemque accendere*  
*cantu Virg.\* Id est, ærea tubâ*

*Qui furor, O cives quæ tanta licentia ferri?* Lucan. \* Id est, armorum.

--- *Rapit arma manu, nodisque gravatum  
rebur.* \* Virgil.

\* Sabau. Hercules. \* Id est, clavâ roboreâ  
----- *Haret lateri lethalis \* arundo.*

Virgil. \* Id est sagitta arundinea

*Agrestem tenui medit abor arundine musâ.*

Virgil. Id est, fistula arundinea.

*Cedet & ipse mari vector, nec nautica\* pinus mutabit merces.* Virgil.

\* Id est, navis pinea.

--- *Fulvum mandunt a sub dentibus  
b aurum.* Virgil.

a Subaud. equi. b Id est, aurea lupata.

----- *Ille impiger haufit  
Spumantem pateram, & pleno se proluit\*  
auro.* Virgil.

\* Id est, pleno aureo poculo.

*Totalicet veteres exornent undiq,\* Cera  
Atria nobilitas sola est, atq; unica virtus.*

Juvenal.

\* Id est, Cereæ Majorum Imagines.

*Ad monitio. Quando utimur Substanti-  
vo materiæ, pro vero nomine rei, ex ea  
mate-*

materiâ factæ; huic substantivo, quantum fieri potest, adjungi debet Epithetum rei maximè proprium; ut statim appareat, quænam sit illa res, quæ hoc cūmmunij materiæ nomine significatur. Ut cum dicimus *Volucris arundo*, pro sagitta; *Nautica pinus*, pro navi: *ebur sonorum*, pro cythara: *plumbum volatile*, pro glande plumbea: *ferrum volatile*, pro telum ferreum.

## V.

Mutari potest nomen Partis, in nomen Totius. Ut cùm pro aqua fontem pro fluvetu pontum dixit Virgilius.

*Irriguumq[ue] bibant violaria \* fontem.* Virgil.

*Unama quæ Lycios fidūq[ue] uehebat Orontē,  
Ipsiusante oculos, ingens a vertice b pontus  
In Puppim fuerit.* Virgil.

a Subaud. navem b Id est, ingens fluctus.

## VI.

Mutari potest nomen Substantivum Totius, in nomen Partis. Ut cùm usurpantur *tecta* pro ædibus: *prora puppis*, *carna* pro navi: *mænia* pro urbibus: *unius regionis populus*, pro tota gente: *urbs una*, vel *provincia* pro toto regno, vel imperio: *fin-*

*gulae anni tempestates pro toto anno. v. g.*

*Tum parida matres tectis\* ingentibus errant.* Virgil.

\* Id est, per ingentes ædes

*Audit omnipotens, oculosque ad\* mania  
torsit Regia.* Virg.

\* Id est, ad regiam urbem.

*Et jam argiva\* Phalanx instructis navi-  
bus ibat,*

\* Id est, Græcorum exercitus. Argivi enim inter Græciæ populos recensebantur & primum in eo exercitu, cum Lacedemonijs dignitatis locum obtinebant.

*Cùm Domus Assaraci Phthiam, clarasque  
Mycenas*

*Servitio premet, ac vicit dominabitur  
Argis.* Virgil.

Id est, Cùm Trojanorum posteri, toti Græciæ dominabuntur, cuius Græciæ urbes erant, Phthia, Achillis patria, Mycenæ, Agamemnonis patria, & Argi, urbs regia Agamemnonis.

*Tertia dum Latio regnante viderit æstas.*  
Virgil.

Id est, donec per tres annos regnârit.

*Iamque octava mihi, revolutis mensibus,  
æstas ibat.*

Id est,

Id est, octo jam anni effluxerunt.

*illunz*

*Per mare, per terras septima jactat Hyens.*  
Id est, septem a<sup>n</sup>nis terra mariq; jactatus est.

*Ut careo vobis, scythicas detrusus in oras*  
*Quatuor Autumnos Plejas orta facit*  
Ovid.

Id est, quatuor abiére anni, ex quo apud  
Scythes in Ponto, exulo. Idem sensus alijs  
etiam verbis ab eodem auctore in hunc  
modum redditus est.

*Ut me pontus habet, quater arva colonus*  
*aristis.*

*Nudavit, quater est falce resecta Ceres*  
Aliquando pro æstate, messis nomen, per  
Metalepsin usurpatur. v. g.

*Quarta tribus lustris addita messis erat.*  
Id est, ad quindecim annos quatuor acces-  
serant.

*Frigidater decies nudatum frontibus Æmū*  
*Tendit hyems vestire gelu, totiesque solutis*  
*Ver nivibus, viridē menti reparavit amictū.*

## VII.

Mutari potest nomen Substantivum  
causæ in nomen effectus. Ut cùm Ovi-  
dius hac voces, *Cacus immanis latro*, det

latronum effecta , aliter in hunc modum reddidit

*Cacus aventinæ timor, atque infamia sylva*

*Non leve finitimis, hospidibusque malum.*

Eâdem ratione R. P. De Bussieres in suo Scanderbego , Helenæ Smyrnæi Principis filiæ ut dotes egregias commendet , varijs definitionibus strictim congregatis , eam describit , effecta pro causa usurpans .

*Una cui proles Helena , est pulcherima Virgo ,  
Patris amor , regni fulcrum , Regumque cupido .*

Idem in Monitis Christianis , ad Christissimum virum Dominum de Bussieres fratrem suum , cùm pauperum caussam agit , & eleemosynam suadet ; sic ait .

----- *Ratio tibi certa legendi .*

*Si dederis ; nummi seges \* est mendicus  
opima .*

\* Id est , causa tibi erit optimæ segetis , & multarum divitiarum .

Eâdem mutatione usus est Frizonius in Genethliaco Delphini .

*Hic ego te instratum cunis , quas aulica circu  
Pompa fluit , soio majestas intulit alto ,  
Aspicio venerande puer , Regumque voluptas  
Et populi communis amor ! Salve inclyte  
Delphin .*

*Spes*

*Spes hominum, pignusque Deum, mea gloria salve.*

### VIII.

Mutari potest Substantivum nomen, effectum significans in nomem ipsum causæ. Ut cùm Virgilius pro vernanti segete dixit, *boum labores.*

--- *Ruit ardus aether*

*Et pluvia ingenti, fatalata, botumque labores diluit.*

Seneca in Troade pro *Troja cecidit*, dixit, *cecidit cælitum labor.* Eam quippe urbem Neptunus, & Apollo mænibus cinxerant.

--- *Columnen eversum occidit,*

*Pollentis Asia, Cælitum egregius labor.* Huc referri possunt ii, qui suere rerum aliquarum primi auctores, qui pro rebus a se inventis eleganter in versu adhibentur; atque ita pro vitibus, & vino Bacchum, pro segete & pane Cererem, pro bello Martem, Musas pro versibus recte, & eleganter usurpabimus.

Huc etiam revocantur Elementorum. & aliarum quarundam rerum. Divi Præsides, qui aliquam habere videntur rationem causæ; atque adeò pro Aëre Jovem,

pro aqua Neptunum, & Thetim, pro igne Vulcanum, Floram pro floribus, Pomona pro pomis, & alijs ejusdem ferè generis fructibus, rectè quoque & eleganter dicemus.

Bachus amat colles, Aquilonem & frigora  
Taxi. Virgil.

Id est, vites, colles amant.

Et multo in primis hilarans convivia  
Bacho. Virgil. Id est, vino.

Ad rubicunda Ceres medio succiditur  
Istu. Virgil. Id est, seges.

Dant famuli manibus lymphas, Cererē.  
que canistris, expediunt. Virgil.

Id est, panem.

Accendāmque omnes insani Martis amore.  
Virgil. Id est, belli.

Pollio amat nostram, quamvis sit rustica,  
Musam. Virgil.

Id est, Bucolicos meos versus.

--- Si forte morantes

Sparserit, aut praeceps Neptuno, \* immer-  
serit Eurus. Virgil.

\* Subud. Apes. \* Id est, in aquam immer-  
serit.

Tentare Thetim ratibus. Virgil.

Id est,

Id est, navigare. Thetis pro mari.

Et ~~jans~~ maturis metuendus Jupiter uvis  
Virg. Id est, Aëris intemperies, hic  
enim Jupiter pro Aëre sumitur.

Floram pro floribus, & Pomonam pro  
fructibus, quibus præst sic aliquando  
usurpavi

Nunc hilarem sertis Flora coronant humum

--- Exponit avaris

Agriculæ manibus, felicis munera rami,  
Divitias Pomona suas.

## IX.

Eleganter mutari potest nomen sub-  
stantivum rei significatæ, in ipsum signi-  
nomen seu (ut vulgo dicitur) eleganter  
usurpari potest signum pro re significata.  
Quod ut clarius constet, Ecce varia si-  
gnorum nomina, quæ vel usitatiùs à Poë-  
tis, vel elegantiùs usurpantur, incertas de-  
scripta classes, & exemplis illustrata le-  
ctissimis.

---

Signa Antiqua, quorum aliqua etiamnum  
apud nos vigent.

Ceræ Majorum  
Imagines ---- Nobilitatis

- Fasces, Sella Curulis -- Consularis potesta-  
 Purpura, Sceptrum. (tis  
 Corona -- Regiae Dignitatis.  
 Toga --- Senatorij muneris.  
 Sagum -- Militiae.  
 Aquilae -- Romanorum legionum.

*E X E M P L A.*

*Nam quid imaginibus, quid avitis fulta  
 triumphis.*

*Atria, quid pleni numeroſo consule fasti  
 Profuerint? cui vita labat?* Lucan.

*Id est, quid prodest ei Nobilitas; qui turpi  
 vitâ natalium splendorem obscurat.*

*Non illum populi fasces, non purpura Re-  
 gum Flexit.* Virgil.

*Hinc rapti pretio fasces.* Lucan.

*Id est, emptus pecunia Consulatus.*

*Degenerem patiere Togam, regnumque  
 Senatus?*

*Id est, an patieris ignavorum, & imbellium  
 Senatorum superbam in te petulantiam;*

*Interea domitis Cæsar remeabat Iberis,  
 Victrices Aquilas alium latus in Orbem  
 Lucan.*

*Id est, Romanas legiones.*

Hodierna Principum , & Populorum si-  
gna à Gentilitijs petita Regnorum  
Insignibus.

Claves , & S. Petri

Navis --- Romanorum Pontificum , &  
Ecclesiæ Romanæ.

Lilia --- Franciæ , & ejus Regum.

Aquila -- Germaniæ , & ejus Imperato-  
rum.

Leo --- Hispaniæ , & ejus Regum.

Pardi -- Angliæ , & ejus Regum.

Luna --- Turcarum.

*E X E M P L A.*

Baldus noster hortans Germanos , cæ-  
terosque Europæ Principes ad sancien-  
dam pacem , bellumque Turcis inferen-  
dum sic ait.

*Militia quis fructus erit , cum pascet inultū*

*Aquila cadaver , Bistonum diras aves ?*

*Consilio meliore , Duces , vos vertite signa*

*In execrandæ perfidum Luna caput .*

Ita pro Francis Lilia , pro Turcis Lunæ  
nomen aliquando usurpavi

*Victus cùm Turca videbit*

*Lilia Idumeas iterum florere per urbes ,*

*Fractaque palebunt fugientis cornua Lunæ  
De victis, fugatisque paucis abhinc annis  
ad Dunkerkam Hispanis, & captâ à Fran-  
cis Dunkerka, ita cecinit Poëta Anony-  
mus.*

*Terruit Hispanum clades audita Leonem.*

*Signa Litterarum*

Pallium                      Philosophiæ.

Bucolicæ Fistula.

Heroicæ Tuba.

Poëseos                      Lyricæ Lyra, Cythara, Fides.

                                Comicæ Soccus.

                                Tragicæ Cothurnus.

*E X E M P L A.*

De Philosophis Romæ aliquando in ho-  
nore habitis, ita cecini.

*Inter Togatæ Principes gentis viros,*

*Honos haberi Pallio cœpit.*

*Vestra meos olim, si Fistula dicat amores.*

Virgil.

*Id est, si pastoritijs versibus meos amores  
describatis.*

*Pieriā caneret cūm fera bella tubā Mart.*

*Id est, heroico carmine.*

*Hic in redacta Valle, canicula,*

*Vitabis estus & Fide Teia*

*Dices laborantes in uno*

*Penelopem, Vitreāmque Circen.* Horat.

Id est, Lyricis, & Anacreonticis versibus,  
qui à Teo Joniae urbe, Anacreontis patria  
Teij dicti sunt, dices Penelopes, & Circes  
amores quibus ambæ in unum eundémq;  
Ulyssem ferebantur.

*Hunc Socci cepere Pedem, grandēsque*  
*Cothurni.* Horat.

Id est, Comœdia, & Tragoœdia, Jambum  
pedem in suos versus induxerunt, vel Co-  
mici, & Tragici versus Jambum pedem  
admiserunt.

---

*Signa Politica.*

Olea Toga,

Clausum Jani Templum      Pacis

Arma, Sagum,

Apettum Jani Templum      Belli.

Caduceus      Legationis.

Laurus palma,      Victoriae.

Amaltheæ Cornu, Bonorum Copiæ.

Fasti,      Annorum.

*E X E M P L A.*

Si qui Ciceronianum versum nostris  
aptaret

aptaret temporibus, exiguâ unjus, aut alterius vocis factâ mutatione, sic diceret.

*Cedat armatogæ, Laurus concedat Olivæ!*  
De primis veterum Francorum victorijs  
sie olim scripsi.

*Et Socias inter creverunt Lilia Palmas.*

Id est, & Francorum gloria clarior in dies  
eorum victorijs evadebat.

De pace quoque post diuturnum bel-  
lum Francos inter, & Hispanos initâ, ita  
scripsi.

--- *Longis dudum exula ab Oris  
Antiquas repedit sedes, & nota revisit  
Oppida lætatesq; agros beat ubere b cornu,  
Subaud Pax. b Id est, felici frugum pro-  
ventu, & bonorum omnium copiâ.*

*Signa Populorum ducta è precipuis Regno-  
rum fluviis.*

Thamesis	Anglorum.
Sequana	Francorum.
Scaldis	Belgarum.
Rhenus	Germanorum.
Ister	<div style="display: flex; align-items: center;"> <span style="margin-right: 10px;"> </span>           Thracum seu            Turcarum, &amp; Hungarorū.            Hispanorum,         </div>
Tagus	Tiberis

Tiberis	Romanorum.
Nilus	Ægyptiorum.
Jordanis	Palestinorum.
Euphrates	Parthorum.
Ganges	Indorum.

*E X E M P L A.*

Balde in Ode ad Principum de pace  
Legatos Monasterij aliquot ejusmodi flu-  
viorum nomina eleganter pro vicinis  
populis usurpavit.

*Tota Europa fremit, toto concurrit orbe,  
Unumque plures inquinat gentes nefas  
Sanguineos Scaldis Thamesisque ut  
Rhenus, & Ister*

*Rotant procellis intonati vortices. Bald.  
Euphratrem \* Nilumque move, quo no-  
minis usque.*

*Nostri fama venit. Lucan.*

\*Id est, & Ægyptios, & Parthos in adver-  
farios commove, & nostris adjunge par-  
tibus.

*Hinc movet Euphrates, illinc Germania  
bellum, Virgil.*

*Pax erat : & (vestri Germanice cause  
triumphi)*

*Tradiderat famulas jam tibi Rhenus \*  
aquas. Ovid.*

\* Id

\* Id est, jam tui jugum Imperij Germani  
subierant.

Hâc ratione Delphinatis Parnassi de-  
cus nobilissimus Dionysius Salvagnius  
Boësius, in Pyrocrene, Ludovici XIV.  
Victorias commeniorat, fluviorum no-  
mine pro vietis populis, qui eos acco-  
lunt fluvios, usurpato

*Magne, tuos dicent alij Ludoice triumphos.  
Hesperiam bello fractam, pulsimque Bri-  
tannum,*

*Et domitum latè Scaldim \* Rhenumque  
bicornem.*

\* Id est, Belgas & Germanos.

Poterant etiam populoꝝ signa peti  
à \* vestibus; ut Romanorum à Toga Græ-  
corum à Pallio, Gallorum à Braccis &c.  
Vel ab armis; ut Romanorum à pilis, Gal-  
lorum à gæfis, Belarium à fundâ, &c.  
Deorum etiam signa afferri poterant, &  
designari per Aquilam & fulmen Jupiter:  
per Tridentem Neptunus: per Caduce-  
um Mercurius: per Ægita Pallas: per  
Clavem Hercules: sed, ut paulò ante mo-  
nui, ea tantum volui recensere signa, quæ  
vel usitatiꝝ à Poëtis, vel elegantiꝝ usur-  
pantur.

## X.

Mutari potest Substantivum nomen rei contentæ in Substantivum rei continentis. Vel, ut Rhetorum more loquar, Sumi potest continens pro re contenta.

Ita Virgilius Ægyptum pro Ægyptijs, Baetra urbem Asiæ pro Bactrianis usurpavit, cùm de Antonio sic scripsit.

*Hinc ope Barbaricā, variisque Antonius armis Ægyptum, virésque Orientis, & ultima secum Baetra Vehit.*

Idem etiam navim pro nautis, quos capit navis, alibi usurpavit

*Nec Nautica Pinus*

*Mutabit merces*

Id est, nulli nautæ merces aliò convenient, neque ullo modo navigationi dabunt operam.

Ultimò mutari potest nomen Substantivum significans circumstantiam rei cui-piam convenientem, in ipsum rei nomē, ut si dicas cum Petavio, *excussit infantem*, id est, infantis balbutiem vel nugas: cùm Milliæo *Regem gerens*, id est, Regis habitum ac personam: cùm eodem *rosa purpurat*, pro, color roseus purpurat: cùm Lcano,

cano, dedidicit ducem, id est, artem bellicam, & ducis munus, cum Antonio, gestas Vulpem sub pectore, id est, Vulpinos dolos, & astuta consilia.

-- Ut primum infantem excussit, & ora Solvere posse datum est. Petavius

-- Solymæ ille vias in Syrmate verrit

Coccineo, Regemq; gerens. Milliæus de Christo ab Herode illuso, & coccineâ veste induito.

Donec a dulcè rubens vobis rosa, b purpurat ora.

a Id est, quamdiu vernat flos juventutis.

b Id est, color roseus.

Dedidicit jam pace Ducem. Cæsar apud Lucan. de Pompejo.

-- Et astutam gestat sub pectore Vulpem.  
Anonymous.

### S E C T I O III.

#### De Mutatione casuum.

i. **A**Liquando in Vocativum eleganter mutantur per Apostrophen cæteri casus. v. g.

Scipiadas duros bello, & \* te Maxime  
Cæsar. Virgil.

\* Pro

\* Pro, & maximum Cætarum.

*Terretur minimo penuæ stridore columba,  
Unguis, Accipiter, saucia facta tuis.*  
Ovid.

*Id est, Unguis Accipitris saucia facta.*

*Cepit ille coronam*

*Quæ posset\* crines, Phæbe, decere tuos.*  
Ovid.

\* Pro quæ posset Phæbi crines decere.

2. In Quæstione QUO Accusativus  
cum præpositione In, eleganter mutatur  
in Dativum. v. g.

*Quis novus hic nostris successit sedibus  
hos? Virgil*

*Pro, successit in sedes nostras.*

*Illa a subit Mediæque minans illabitur b  
urbi Virgil.*

a Subaud. Equi Trojani machina. b pro,  
in urbem,

*Littorâque Epiri legimus, Portuique\* subi-  
mus. Virgil.*

\* Pro, in portum. Hic ad verte, *portu* esse  
Dativū poëticum, quartæ declinationis,  
qui à Poëtis sæpius formatur in U, quam in  
III, ut *portu*, pro, *portuifruſtu*, pro *fructu*.

3. In Quæstione QUA, Accusativus  
cum

cum præpositione PER sæpius apud Poëtas mutatur in Ablativum sine præpositione. v.g.

*Tum gelidus toto manabat corpore sudor.* Virgil.

Pro, per totum corpus.

--- *Nam te jam septima portat,*  
*Omnibus errantem terris, & fluctibus*  
*aestas.* Virgil.

Pro per omnes terras, & per omnia errantem Maria.

4. Ablativus cum præpositione A, vel AB verbi Passivi, interdum eleganter mutatur in Dativum per Hellenisimum.

*Infert se septus nebula (mirabile dictu)*  
*Per medios, miscetque viris neque cernitur*  
*ulli;* Virgil.

Pro, neque ab ullo cernitur.

5. Cum Verbis pugnandi, eleganter jungitur Dativus pro Ablativo, & præpositione CUM ; seu Ablativus ille transit eleganter in Dativum. v.g.

*Pugnabis amori.*

Pro, cum amore.

*certent & Cygnis ululæ,* Virgil.

Pro, ululæ certent cum Cygnis.

SECTIO IV.

De Mutatione Numerorum.

I. **S**ingularis Declinationum numerus quando res aliqua singularis, & una significatur, eleganter mutatur in numerum Pluralem. v. g.

--- *Quæ tam læta tulerunt*

*Sæcula qui tanti talem genuere parentes?*

Virgil.

Pro, *Quod tam lætum sæculum, &c.*

--- *Priami dum regna manebant.* Virg.

Id est, dum stabat regnum Priami. Unum enim hīc tantū regnum significatur, nempe Trojanum.

*Oranatant lachrymis.*

Pro, *os lachrymis natat.*

*Ad te configio, & supplex tua numina*

*Posco.* Virgil.

Pro tuum numen oro.

*Ille triumphata, Capitolia ad alta, Corinbo*

*Victor ager currum.* Virgil.

Pro, ad Capitolium.

*Hæc a genus acre virtùm, Marsos, pubemq; Sabellum,*

*Assuetumq; malo Ligurē, Volscōsque verutō  
Extulit hāc Decios Marios, magnōsque  
Camillos.*

*Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar  
Virgil. 2. Georg. ubi laudes Italiae de-  
scribit.*

2. Pluralis Declinationum numerus, cūm plura Colle&tim significantur, elegan-  
ter mutatur in numerum singularem. v. g.

*Cūmpressus ab hoste  
Clauditur extēnis miles Romanus in  
oris Lucan.*

*Miles Romanus, pro, Romani milites.*

*Nos primi Senonum motus Cimbrūmque  
ruentem Vidimus Lucan.*

*Id est, Cimbros ruentes, Cimbri erant  
Germaniæ populi.*

*Non antè devictis Sabæa*

*Regibus Horibiliisque Medo*

*Neditis Catonas Horat.*

*Id est, Medis.*

Atque ecce, quæ circa nominum sin-  
gularem, & pluralem numerum, in scri-  
bendis versibus observanda mihi visa  
sunt. Quia verò præter hos declinatio-  
num numeros, alii sunt Arithmeticci, qui  
etiam

etiam pro metri ratione, mutari eleganter, & variari possunt. De ijs etiam hīc opportunus videtur dicendi locus. Atq; ita

1. Numeri Cardinales Arithmeticci,  
*quales sunt Unus, Duo, Tres, Quatuor, Quinque, &c.* Aliter, imò elegantius reddi possunt, per Adverbia numerandi, *Bis, Ter, Quater, &c.* Conjuncta, vel cum numeris Cardinalibus, ut in hoc Virgiliano versu,  
*Sunt mihi bis Septem præstanti corpore Nymphæ.*

Id est, quatuor decim.

Vel coniuncta cum Numeris Ordinalibus, Binus, Ternus, Quaternus, Quinus, Senus, Denus, & alijs similiter formatis, ut in hoc Ovidiano videre est.

*Martia ter senos proles adoleverat años Id est, Romulus annum agitabat octavum supra decimum.*

2. Mutari quoque eleganter possunt Numeri Cardinales in sequentes voces certum annorum numerum significantes.

*Lustrum, quæ vox apud Poëtas usitatissima quinque annorum spatium significat, eo quod quinto quoque anno urbs à Censoribus Romanis Lustraretur.*

- - *Veniet Lustris labentibus Aetas*  
*Virgil.*

*Jamque unus Lustris geminis accesserat annus  
Id est, jam undecimus agebatur annus.  
Addideratque annos ad duo Lustra duos. Ov  
Id est, duodecimum annum attigerat.*

- . *Lustris his quinque peractis. Ovid.*

*Triennium, Quinquennium, & similiter  
formatæ voces, quarum significata per  
patent.*

*Jamque ferè tracto duo per quinquennia bell  
Olympias, quæ vox idem sonat apud Græ  
cos, ac *Lustrum* apud Latinos v. g.*

*In Schytia nobis quinquennis Olympia  
acta est.*

*Trieteris, Id est, trium annorum spatiū  
& similes Græcorum voces, Latinitate  
donatæ, Exemplum dabit Baldus nostes  
in ea Ode, quâ Ragusium Adolescentem  
depilis menti dedecus ægerrimè ferentem  
consolatur.*

*Quid fles Ragusi? cur madidam fricas,  
Tergisque frontem? quod Trieterida  
Emensus octavam triennem.*

*Ore tenus referas puellam.*

S E C T I O V.

De Mutatione Verborum, Modorum,  
& Temperunt.

I. VERbum proprium eleganter mutatur in Metaphoricum, maximè si verba rerum animatarum propria tribuantur inanimatis; ut cùm de arbore, cui peregrini rami insiti sunt, dixit Virg.

Miratumq; novas frontes, & nō sua poma.  
Id est, novas frontes, novosque fructus profert.

Nec lupus infidias pecori, nec retia Cervis.  
Ulla dolum meditantur. Virgil.

Id est, nulla explicata sunt: ad Cervos capiendos retia.

Nec varijs discet mentiri lana colores. Virg.

Id est, nec lana varijs imbuetur coloribus.

--- Et prælis invidet uva Falernis.

Statius.

Subaud. Quæ nascitur in ijs collibus. Nimirum æquè generosum, ac falerna præla, vinum fundunt hæ tuæ vires.

-- Obductaque clava trinodis

Ter, quater, adversi sedit in ore viti. Ov.  
Id est, est impacta in os viri clava ter, &  
quater eum percussit. E 2 2. Ver-

2. Verbum proprium eleganter, & sæpè mutatur in aliud verbum circumstantiam rei, pro re ipsa, exprimens. v. g. hanc sententiam, *Licet crura vinciantur sonanti compede*, eleganter ita reddes,

*Crura licet durâ compede vinclata sonent.*  
Tibull.

Ubi vides pro *Vinciendi* verbo, adhibitum verbum, *sono*, quod circumstantiam potius vinculorum, quam pedum nexus significat.

3. Verbum proprium, elegantet redditur per phrasim, quæ circumstantiam actionis significat. Ut si hæc metro sit illiganda sententia, *sæpè ad illius aram masto bo agnum*. Elegantius cum Virgilio dices,

---- *Illi aram*

*Sæpè tener nostris ab Ovibus imbuet agn'*

4. Verbum proprium, mutari quoque eleganter potest in phrasim, quæ pro ipso tempore circumstantiam temporis explicet. Ut cùm Virgilius vocem *ad sperascit*, ita alijs verbis effert. (*umbra*)

*Majoresque cadunt altis de montibus*

5. Verbum proprium, eleganter etiam ex primi potest phrasii per Pin, quæ circum-

*stan-*

stantiam loci describat, v. g. Si contexendus sit versus in hanc sententiam, *agnos mille habeo*, ita cum Virgilio dices,

*Mille meæ Siculis erant in montibus agnæ*  
Suberest modò ut dicamus, quâ ratione in verbis, mutantur aliquando apud Poëtas Modi, & Tempora, quâ de re, hæc paucis & obiter accipe.

1. Infinitus aliquando pro Indicativo usurpatus vim majorem, & elegantiam addit versui v. g.

- - *Mène incæpto desistere viam?* Virg.  
Id est, egone ab incæpto desistam?

- - - *Mène Iliacis occumbere campis*  
*Non potuisse?* Virgil.

2. Præteritum tempus eleganter usurpari, pro præsenti, ut cùm Virgilius de Apibus sic ait:

- - - *Rege incolumi mens omnibus una est;*  
*Amisso, rupere fidem, constructaque mella*  
*Diripuere ipsæ, & crates solvère favorū.*  
Sed illud multò etiam frequentius in præterito Infinitivi accidit, ut omnes ferè Poëtarū paginæ testantur. Unū ex Bidermanno Exemplum affero, qui suum de *Absolonis crinibus in laqueos versis Epigrāma* his versibus concludit. E 3 Ex-

*Ex pandere suos , ingentia brachia , ramos ,  
Et placitas ramis implicuere comas .*

*Hic sensere meos sibi dum placuisse capillos ,  
Solus eos sensi displicuisse mihi .*

*Ubi vides placuisse , & displicuisse pro præ-  
fenti Infinitivi usurpari .*

3. Subjunctivi Præsens , eleganter pro ejusdem modi præterito Imperfecto usurpatur. Ita R. P. de Bussieres in Umbra vallis descriptione , postquam mirâ versuum elegantiâ fontem illum descripsit , cuius ( ut ait ) læto prorumpens impetu jactus altè aërem verberat , ac mox in stylas sparsus crateri suo restituitur : ubi ( inquam ) ludentes per amica noctis silentia circa fontem auras , Nymphásq; Araris in ejus margine choreis indulgentes , ac se in fontem immergerentes ad eluendos facie nævos ostendit , ita egregiam illam descriptionem egregiè concludit .

*Invidare spectat Phæbe , maculasque atentes  
Abluat ; igniferi prohibet regnator Olympi  
Id est , ablueret , seu ad vultūs sui maculas  
in eo fonte detergendas , è cœlo descen-  
deret , nisi Olympi regnator prohiberet .*

*Si plura in eandem rem exempla desi-  
deras*

deras, lege, quæ Enallage figura Syntaxeos superiùs docui.

## SECTIO VI.

### *De Mutatione Adverbij.*

1. **A**dverbia eleganter mutari possunt in Adjectiva, ut cùm Virgil. dixit  
*Solvite vela citi.*

**I**d est, citò.

--- cùm statione peractâ.

*Astra petes serus, prælati Regia cœli  
Excipiet plaudente polo.* Lucan.

**I**d est, serò.

*Nam dum fortè domo se matutinus agebat  
Rapin, Id est, manè.*

*Instant ardentes Tyrij, per ducere muros,  
Molirique arcem,* &c. Virgil.

**I**d est, ardenter.

2. Adverbia mutari possunt in verba.  
Ut cùm de Sinone à Trojanis pastoribus  
capto, & ludibrio circumfusæ multitudini-  
nis expositio, scribit Virgilius.

*Certantque illudere capto.*

**I**d est, capto certatim illudunt.

Ad hunc etiam modum, hanc senten-  
tiam (Audenter manū conferunt, & longius

procurrunt) Cū Virgil. ita reddere poteris.  
*Et conferre manum, & procurrere longius audent.*

## SECTIO VII.

*De Mutatione Conjunctionis.*

**U**na in Conjunctione (*Et*) cæteris omissis, immorabor; quia de alijs vix aliquid occurrit in præsentia, quod dicam, ista verò una, & crebras, & elegantes in versu mutationes admittit.

i. *Conjunctio* (*Et*) eleganter mutatur in vocem unam orationis, suppressâ conjunctione, geminatam, v. g. Sententiam illam, *maximus ille armis, & togâ*, omittendo conjunctionē, geminando voces, *maximus ille*, sic ad metri numerum adduces.

*Maximus ille armis, maximus ille togâ.*  
 Hæc mutandi ratio vim orationi confert maximam, sive cum interrogamus v. g.

*Quid tibi cum Cirrha? quid cum Pemefidios undâ?* Martial.

Sive cùm aliquid vehementius affirmamus. v. g.

--- *Dm horriddabella,*  
*Dicam acies, actosque animis in funera*  
*Reges.* Virgil. Sive

Sive cùm aliquid est patheticos describen-  
dum v. g.

*Regalesque accensa comas, accensa coro-  
nam Insignem gemmis.* Virgil.

---- *Zephyris te mollibus auræ,*

*Te Sylvæ gemitu, querulo te vitreus amne-*

*Bivara, te Gentiliaci flevère recessus.* Man.

*Bivara, lariviere de Gentily, ou des Gobeins.*

2. *Conjunctio, (Et) mutari etiam po-  
test in præpositionem cum v. g.*

--- *Silent cum flumine valles.*

*Id est, flumen, & vallis silent.*

*Occidit miseram tenerā cū prole parentem.*

*Id est, occidit matrem & liberos.*

3. *Conjunctiones (Et, Que, atque)*  
nonnunquam eleganter geminantur, at-  
que ita fit quodammodo mutatio unius  
conjunctionis in geminam. v. g. (ter.)

*Atque Deos, atque astra vocat crudelia ma-*

--- *Regemque dedit, qui fædere certo*

*Et premere, & laxas sciret dare jussus ha-  
benas.* Virgil.

*Id est, Jupiter ventis Regem imposuit,  
qui &c.*

---- *Relinquunt*

*Armaq; craterásque simul pulchrosque tape-  
tas.* Virgil.

*Admonitio.* Quando iteratur in eodem versu conjunctio ( *Que* ) eleganter, Græcorum more, produci potest, si proximè sequens dictio inchoëtur à duabus consonantibus, aut à litera dupli. v. g.

*Terrásque tractúsque maris, cælumque profundum* Virgil.

*Spiculáque, Clypeáque, ereptáque rostra carinis.* Virgil.

*Euríque Zephyríque tonat domus.* Virgil.  
Imò etiamsi non sequatur consonans, aut litera duplex, à Virgilio, Ovidio, Statio; sed ( ut arbitror ) per licentiam nonnisi à magnis Poëtis, & in longo opere usurpandam, producta legitur.

*Syderáque, ventique nocent; avidæque volucres.* Ovid.

## SECTIO VIII.

### *De Mutatione Ordinis, & Compositionis Vocum.*

**I**nterdum legitimus vocum ordo, aut earū compositio eleganter mutari, & citra confusionem omnē jucundè perturbari potest. Illa verò mutatio in vocibus præsertim compositis, quarum singu-

læ partes separatim aliquid significant, & in omnibus ferè præpositionibus accidere solet. v.g.

*Qui te cumquè manent isto certamine casus.* Virgil.

*Qui te cumque, pro quicumque te.* Idem fit in voce *hactenus*, in verbis *supersum*, *Circundo*, & in plerisque alijs vocibus, quas inter legendum observabis.

*Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta*  
Virgil.

*Jamque adeò super unus eram, &c.*

-- *Ego si qua super fortuna laborum est*  
*Ipsa regam.* Virgil.

*Ter conatus ibi collo dare brachia circum*  
Virgil.

*Id est, circumdare collo brachia.* Ubi vides verbi *circundo* partes componentes non solum in carmine disjungi, sed etiam contra legitimum constructionis ordinem præpositionem *circum* postponi; quod (ut dixi) in alijs ferè omnibus præpositionibus fieri potest. v.g.

*Illis ira modum supra est, læsaque venenū*  
*Morsibus inspirant.* Virgil.

*Subaud. Apibus.*

--- *Trepidant agitare Chores.*

*Graminaper, mollesque herbas in margine fontis.* P. de Bussieres.

Subaud *Mymphæ.*

*Occupat ille aditum, florésq; illabitur inter Mambrun.*

*Id est, inter flores illabitur.*

*Antra sub, & solas valles, nemoriumque recessus.* Mambrun.

Subaud. Se proripit.

## SECTIO IX.

*De Mutatione sententiae.*

**P**ostquam de verborum mutatione jam dictum est, de mutatione sententiae occurunt aliqua ad Tyronum captū satis accommoda, quæ minimè prætermittenda visa sunt. Vel enim mutari potest sententia, per paucarum vocum accessionem, vel per longiorem amplificationem, vel denique per detractionem. Præceptionibus, quas modò traditurus sum, & exemplis res tota clariùs patebit.

*De Mutatione sententiae per unius, aut paucarum vocum accessionem.*

1. Augetur aliquando sententia geminando vocem aliquam , vel ornatūs gratiā , vel ad majorem significandi vim.

En exemplum ē Rapini nostri non *Saceris* modō , ut ille scripsit , sed planè divinis *Eclogis*. ( *sertis* )

*Non procul hinc plexis redimita tempora  
Arbuteis quæ sertalegat, portanda canistris,  
Thaborides Nymphæ per florea rura vagantur,*

*Et Thymbram, & Violas, & cætera mune-  
ra ruris,*

*Munera Divinæ cunis spargenda puellæ.*  
Id est , Deiparæ Virginis , cuius in hac Ecloga Genethliacum scripsit Poëta . Hic geminatio est ad ornatum , in sequenti verò exemplo exhibita est , ut majorem orationi vim conferret .

*Ecce trahebatur passis Priameia Virgo  
Crinibus ; à templo Casandra, adytisque  
Minervæ , ( stra ,  
Ad cœlum tollens ardentia Lumina fru-  
Lumina , nam teneras arcebant vincula  
palmas.*

Ita Virgil. 2. Æneid , quem imitatus Frizoniūs in Genethliaco Delphini sic cecinit

Bizanti dejectis culmina Lunis,  
 Purpureasq; cruces, & candita Lilia gestit  
 Lilia Threicias olim dominata per oras,  
 Perque Asiae dites populos, altamque Siona.

2. Augeri potest Sententia per additionem Epitheti, quod regat, & secum invehat aliquem casum, cuiusmodi sunt Participia, & alia quædam adjectiva. v. g. Romanorum mos erat in Imperatorum triumphis captarum ab illis urbium, trajectorum, & superatorum fluminum, viatorum populorum, locorum deniq; aliquâ cæforum hostium clade insignium, ferre ante illos simulacula.

In hoc igitur argumento, sit hæc sententia disticho reddenda elegiaco. *Pratinus oppida cum viris lata Subaud. sunt. Ad-datur.* i. Epithetum voci, *viris*, quæ cum viatos populos sonet, eleganter dices *vi-  
 etis viris*. Alteri Substantivo, *oppida*, adjungatur pro Epitheto participium regens, ut dixi, & secum invehens casum aliqué, quo phrasis augeatur. Quia verò illa *oppida* ad imitationem captarum urbium, ex aliquo metallo conflabantur, dices, *oppida imitantia veros muros, & usania*, paulò  
antè

antè monui usurpari pro urbibus. Addes etiam nomen metalli, ex quo fiebant illa urbium simulacra, æris videlicet, vel argenti, vel auri, & dices *imitantia argento*, &c. Denique participium illud Epitheto additum nomini substantivo, non impedit, quominus aliud eidem substantivo adjungatur Epithetum. In hac igitur, quam proposui sententiâ, si *oppida* illa dicas *Barbara* legitimum distichi numerum cum Ovidio sic implebis.

*Protinus argento veros imitantia muros  
Barbara cum viatis oppida lata virū.*  
Similis est hic Martialis versus.

*Ultima volentes oravit pensa sorores.  
Id est, Parcas.*

Et istud Ovidij.

*Et careant loliis oculos vitiantibus agri.*  
Sit etiam hæc sententia heroico versu efferenda, *dum Regem*, id est, Porsennam, peteret dextera, Subaud. Mutij Scævolæ. Huic voci, *dextera*, *juxta 4. Præceptum capite 2.* Superiùs traditum detur Epithetū Scævolæ conveniens, cuius significatum à *toto* nempe à Scævolâ, *ad partem*, illius videlicet dexteram transferatur. Atq; ita quia

quia Mutius satellitem pro Rege adortus,  
deceptus est; eleganter *decepta* dicetur  
ejus *dextra*. Jam verò participium dece-  
ptus regit aliquem ablativum, quem pro-  
pterea in sequenti versu ei rectè Martialis  
attribuit.

*Dum peteret Regem decepta satellite dextra.*

4. Dilatari potest sententia, adde do  
Epithetum quod potest juxta secundum  
modum mutandi adjectiva sectione 1.  
cāpidis. 3. traditum mutetur in Substanti-  
vum; atque ita pro uno Substantivo ha-  
bebis geminum. Jam verò si utriusque sub-  
stantivo suum adhibeat Epithetum,  
longè uberior evadet sententia, & quæ  
vix ad homistichium sufficere videbatur,  
integrum tibi versum conficiet. v. g.

In hac Sententia, *Extinxit bellum.* ac-  
cedente Epitheto, *bellum* illud *incensum*  
dices. Adjectivum deinde illud in sub-  
stantivum si mutes, & dicas, *extinxit belli*  
*incendia*, Ecce tibi geminum Substanti-  
vum. Utrique adscisce modo Epithetum.  
& versum ita condes.

*Extinxit miseri funesta incendia belli.*

4. Augeri potest sententia à contrario,  
feu

seu per aliam Phrasim, quæ à contrario, dicta, idem cùm prima significet. v. g. *Pax est Bellum contraria.* Si igitur dilatanda sit sententia, *bellum extinxit*, per Phrasin in qua *pacis* nomen usurpatum, dices & *pacem revexit*. Addatur modò utriuslibet horum Substantivorum, aut si opus est utriusque Epithetum, & in hunc modum aucta sententia hunc tibi versum reddet,  
*Fatale extinxit bellum, pacemque revexit. vel istum*

*Extinxit bellum, pacemque revexit amicā.*

5. Augeri etiam potest sententia, per Ablativos Absolutos, modum aut instrumentum quo aliquid fit, explicantes. Ecce in eam rem exempla varia, sine ablatis illis primū, & sine numeris; tūnca suis ablatis aucta, & numeris illigata.

*Quis Magno ( id est, Pompeio) major fuerat, tamen ipse fugiens rogavit clientis opem.* (rogavit

*Quis Magno fuerat major? tamen ipse summissā fugiens voce clientis opem.*  
Ovid.

*Et felix reddet mandata terra semina.*

--- *Mandatāque semina terra*  
Felix.

*Felix multiplici fœnore reddet ager.  
Aut portum tenet, aut subit ostia.*

*Aut portum tenet, aut pleno subit ostia  
velo Virgil.*

*Ingratas preces respuit.*

*Ingratas duâ respuit aure preces.*

*Et violata altaria sacris templis restituet.*

--- *Et vindice ferro*

*Restituet sacris violata altaria templis.*

6. Crescere potest sententia per interjectiones affectuum, ut cùm res horrēnda describitur. v. g.

*Ecce autem gemini à Tenedo, tranquilla  
per alta.*

(Horesco referens) *immensis orbibus  
angues*

*Incumbunt pelago. Virgil.*

Tenedos est Insula Trojæ ex adverso op-  
posita.

*Vidit thuricremis cum dona imponeret aris*

(Horrendum dictu) *latices nigrescere  
sacros. Virgil.*

*In re luctuosa.*

*Et mortem, & nomen Druso Germania fecit,*

(Me miserum) *virtus quam brevis illa  
fuit. Ovid.*

Quia Dursus immaturâ morte præceptus est.

*Funera duentur Romana per oppida Drusi  
(Heufacinus) per quæ victor iturus erat,*  
Ovid.

Milliæus Pilatum describens, Christum  
Plagis toto corpore conscißum, & lace-  
rum, ad concitandam commiserationem,  
Judæis ostentantem; sic ait.

*Hac specie tandem, visu mirabile! Regem  
A capite ad talos lacerum, Pilatus in altis  
Porticibus, Procerum, & populi producit  
in ora.*

In re admirandâ.

*Hujus opes sumnum, densæ (mirabile dictu)  
Obsedere apicem. Virgil.*

Subaud. Arboris.

In re valde probrofa, & turpi.

*Ægyptum virésque Orientis, & ultima secū  
Bactra vebit, sequiturque (nefas) Ægyptia  
conjuncta. Virgil.*

Id est, Antonium.

In mali iminentis narratione.

*Tum magnum exitum (quod Di prius  
Omnem in ipsum,  
Convertant) Priami Imperij, Phrigi-  
busque futurum. Virgil.* Sub-

Subaud. prædicebat Calchas.

Atque hæc interjectionum exempla sufficient, neque enim hic earum indicem texere fuit animus, sed tantum præire ty, ronibus, ut ipsi similes simili in argumen-  
to, & alias in omni dicendi genere, suo Marte efficiant.

7. Auderi denique potest sententia, per parenthesin, quæ varijs de causis, sed potissimum ad eorum, quæ dicuntur, aut fiunt, rationem afferendam, interseri sen-  
tentiae solet. v. g.

*Dixit, & exemplo ( neque enim respon-  
sa dabuntur*

*Fida satis ) sensit medios delapsus in hostes.*

Virgil.

Suband. Androgeos Græcus, de quo in  
Trojanorum insidias delapso, hæc scripsit  
Virgilius.

*Di maris, & terræ ( quid enim nisi vota  
supersunt )*

*Prcite quassata solvere mēbra ratis. Ov.  
Id est, nolite in miserum s̄evire diutius.*

*Æneas ( neque enim patrius consistere  
mentem*

*Passus a amor ) rapidum ad naves b præ-  
mittit Achatem. Virgil. a Sub-*

*a Suband. est b Ubi filium reliquerat.*

*De Mutatione Sententiæ per longiorem  
Amplificationem.*

**N**equæso, dum hunc legis titulum studiose Poëseos Adolescens, hic me, depositâ personâ, Rhetorem velle agere, & non metricam tantum sed etiam oratoriam artem suscipere tradendam existimes. Sat memini, quem mihi scopum proposuerim, quosve mihi cancellos illa, quam trado, circumscribat. Leviter, & molli (quod ajunt) brachio amplificandi artem attingam ; & relictâ Rhetoribus amplâ illâ locorum suorum palæstrâ, in quâ se exerceant; duas tantum amplificandæ sententiæ vias, ad tardioris cuiusque Tyronis captum accommodatas, & in quibus sepiùs explicat sese, facile ac felix Poëtarum ingenium, meis Poëseos candidatis aperiam.

Prima est Amplificatio, quæ ducitur ab enumeratione partium, quando totum integrale, vel Totum genericum de quibus in Prolegomenis actum est, in suas partes distribuitur. Uno in exemplo illam gemini

*Totius diffusi, & explicati rationem ostendo Argumentum esto istud : Virtutes in ejus vultu eluent. Ubi vides virtutis nomen esse Genericum, quod variarum enumeratione virtutum explicari potest; vultum quoque esse Totum integrum, cuius similiter partes ita enumerari queant, ut sua cuicunque parti virtus assignetur.*

*Excubat in medio tibi pulchra modestia  
vultu,*

*Et roseus niveo regnat in ore Pudor,*

*Simplicitas oculis, sacrâ facundia Lingua.*

*Ridet in ingenuis Gratia viva labris :*

*Majestas humeros, placidam Clementia  
frontem,*

*Pura verecundus pectora candor habet,*

*Pro floribus famuli, video, famulaque  
morantur :*

*Virtutem Dominam quis neget esse domi?*

Elegantem etiam enumerationem habet Virgiliana inferorum descriptio, quâ Poëta omnia de scribit malorum genera, quæ perpetuò inferorum obsident vestibulum. Vide quæso, quot in versus exiguam illam sententiam diffundat.

*Omnia mala infererum sedent in limine.*

*Vesti*

*Vestibulum ante ipsum, primisque in fau-  
cibus orci*

*Luctus, & ultrices posuere cubilia curæ,  
Palentésque habitant morbi, tristisque  
senectus,*

*Et metus, & male suada fames, & turpis  
egestas,*

*(Terribiles visu formæ) lethumque, la-  
bórque,*

*Et consanguineus lethi sapor, & mala  
mentis*

*Gaudia mortiferumque aduerso in limine  
bellum.*

Hæc Amplificandi ratio (ut vides) mul-  
tum valet ad descriptiones, quibus adeò  
delectantur Poëtæ, & in quibus gestire  
quodammodo, & exultare solet eorum  
ingenium. Statius morientem hominem  
describens, has voces (*Solvitur omne decus  
letho*) quæ sunt ejus descriptionis & ini-  
tium, & argumentum, ita per enumera-  
tionem amplificat.

*Solvitur omne decus letho, niveosque per  
artus*

*It Stygius color, & formæ populantur ho-  
nores,*

*Ambrosia cecidere comæ, violata que cervix  
Marmoreum in jugulum, collo labente  
recumbit.*

In hac enumeratione *Genus*, seu *Totum Genericum* erat omne decus Totius Generici partes quas recensuit, sunt varia corporis ornamenti, quæ morte pereunt. Ut, niveus corporis candor, formæ honores, Ambrosiæ comæ, violata cervicis pulchritudo.

Ovidius Veris amœnitatem describens hujus sententiæ (*omnia verno tempore spirant lætitiam*) vocem, omnia per enumerationem amplificat, recensendo nimirū varias res, in quibus læta Veris amœnitas appareret. Ea verò sunt gemmantes in viribus palmites; frondentes in sylvis arbores; herbæ vernantes in pratis; aves in aëre canentes; pecus in pratis ludens; sol in cœlo radians, & serenus; hirundo Veris nuntia & comes subtectis nidificans. *Omnia tunc florent, tunc est nova temporis*

### Ætas

*Et nova de grārido palmite gema tumet.  
Et modo formatis aperitur frondibus arbor  
Prodit in summum seminis herba solum.  
Et*

*Et tepidum volucres concentibus aëra  
mulcent,*

*Ludit & in pratis, luxuriútque pœus.*

*Tunc blandi soles ignotaque prodit hirundo,  
Et luteum celsa sub trabe fingit opus.*

2. Amplificandi modus, ille est, qui dicitur ab *Adjunctis* superiùs explicatis in Prolegomenis. Quæ adjuncta hoc versu toties decantato comprehenduntur.

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur,  
quomodo, quando.*

Exemplum erit descriptio apum novas ducentium colonias, cum angustiores sunt alvei? ut eas omnes recipiant. Ita scilicet illud quærendi alias sedes, & novæ constituendæ Reipublicæ, Apum studium solitâ verborum elegantia describit ab *adjunctis* in laudatissimo suo Scanderbego R. P. de Bussieres.

*Non aliter stipantur apes, quas nobile pellit  
Exilium, sedisq; novæ juvenilibus ardens  
Gloria pectoribus; ducenda colonia mellis:  
Ille implent querum ingentem, truncoque  
refusæ,*


*Condunt ore favos, & pinguia glutina ne-  
stunt.*

Descriptionis (ut vides) hæc est sententiæ,  
*Sic apes colonias statuunt.* 1. Describit  
 quænam sint hæ novæ coloniæ, nimirum  
*apes* (*QUIS.*) 2. Quid agant, nempe stipan-  
 tur, ducitur *colonia mellis*, deinde implent  
*ingentem quercum*, condunt favos, nectunt  
*glutina*. (*QUID.*) 3. Causam affert ob quæ  
 à pristinis sedibus ad novas demigrent,  
 easque partim necessitate ad id cogi, &  
*nobili pelli exilio*; partim accendi cupidi-  
 tate gloriæ, quo in *juvenilebus* ardet pecto-  
 ribus (*CUR.*) 4. Locum recenset, quem de-  
 ligunt ad novæ coloniæ sedem, *ingentem*  
 scilicet *quercum*, in cuius trunco condunt  
 favos. Et novæ Reip. jaciunt fundamen-  
 ta. (*UBI.*)

*De Mutatione Sententia per  
 Detractionem.*

*Ex ijs, quæ de amplificandi ratione di-*  
*cta sunt, facilè est cognoscere, quæ simili-*  
*ter ratione sententia contrahi possit. Qui-*  
*bis enim rebus illa crescit, iisdem potest*  
*decrescere; ut qui campum ductis lon-*  
*gè limitibus ampliavit, Idem rursum ad*  
*ductis limitibus potest diffusam illam pa-*  
*tentis*

tentis campi planitiem arctiori spatio facilè definire. Si igitur perspectum habeas, quibus verbis aucta, & amplificata sit sententia, quam contractiorem esse cupis, statim intelligis, ijs detractis, sententiam effici posse breviorem. Quia verò aliquæ etiam voces præter solitum constructionis ordinem in oratione reticeri solent, per figuram Syntaxeos, quæ Ecclipsis dicitur; earum quoque vocum detractione tuam sententiam arctioribus numeris circumscribes. Vide, quæ de illâ figurâ, in prolegomenis, distinctè satis & copiosè scripsimus.



## CAPUT IV.

### *De Poëtica Vocab, & Prae- seon Elegantia.*

**A** Longa, & diffcili tractatione ad aliam non minoris negotij, artis hujus metricæ partem explicandā progedior. Hic enim, postquam de Epithetorum delectu non pauca; postquā de vocibus, & sententijs ad Poëticam elegantiam, & leges metricas, mutatione facili accommo-

dandis, multa superius dicta sunt : nunc  
in ipsos hujus elegantiae fontes intenden-  
dus est digitus. Quærendum scilicet nobis  
est, unde illa manet in Poëtarum versus  
peculiaris dicendi ratio, quam in ijs sta-  
tim suspicimus, quæque vel imperitos  
quosvis, nedum teretes, & declicatas au-  
res adeò delectat. Hic metricæ orationis  
character cùm tam latè diffundatur, quam  
latè Poëtici libertas styli, & volucrē Poë-  
tarum ingenium excurrit. nemo profecto  
non intelligit, quām sit difficile, res tam  
multas, tam varias, aliquando etiam  
obscuras certis quibusdam præceptis ad-  
stringere, & paucorum capitum veluti  
ambitu coercere.

Illud tamen affirmare mīnimē dubito,  
si quis Poëticæ dictionis vim, & discri-  
men attentiùs perpendat, illum mihi as-  
sensurum dicenti peculiarem istam, quam  
laudavi, & Poëtarum elegantiam totam  
ferè in Figuris Syntaxeos, à Tropis Rhe-  
torices, Enumerationis loco, descriptio-  
nis figurâ, usurpatione fabularum, & cer-  
tis quibusdam loquendi formulis & Idio-  
tismis Poëticis contineri. Quod ut planum  
tibi

tibi exploratūmque sit, amice Lector, ad tuam te fidem, librūmq; pro voco. Sume, quem volueris, Poëtam, evolve illum diligenter, in omnes ejus partes confer oculos; Et si, qui te versus præcæteris delecent, si quid tibi novum, elegans, & admirabile appareat, hujus novitatis tuæq; admirationis causam inquire; ac nisi elegantiam, & admirabilitatem illam existassis, quas modò attuli, oriri tu ipse comprobâris, causâ me protinus fatebor ecedisse.

Ut igitur eodem, quo cæpi, ordine progressiar, in vocibus primūm, tum in sententijs, deinde in Amplificatione, Poëticis styli elegantiam, ex ijs, quo dixi, fontibus derivatam ostendam.

### SECTIO I.

#### *De Poëticarum vocum Elegantia.*

POëticarum vocum elegantiam è figuris Syntaxeos, tropis Rhetorices, Fabularum commentis, & Idiotismis Poëticis oriri, quæ sequuntur exempla confirmabunt. Ex ijs enim, licet numero pauca sint, quid de reliquis omnibus Poëtarum

vocibus, quibus inest præcipuus elegan-  
tia lepos, sentiendum sit, facilè judicabis.

Ad *Enallagen* figuram Syntaxeos, vel  
ad *Synedochen*, Rhetorices tropum,  
pertinent *multus* & *plurimus*, quæ in sin-  
gulari numero ad plures significandas res  
eleganter à Poëtis usurpantur. Ut si de  
Libano monte dicas.

--- *Ubi plurima Cedrus*  
*Spargit odoratos diffusa in nubilarmos.*  
In hunc sensum Martialis, scripsit.

*Atq[ue] super vatem multa pependit avis.*  
Adjectivum nomen *plurimus* ijs adjunctū  
substantivis, quorum numerus non ex-  
penditur, sed moles aut *longitudo*, eam  
certè significat, sed solito majorem, quæ-  
que plurimum rerum ejusdem rationis  
magnitudinem æquare possit; atque ita  
numerum plurimum vel sic exprimit. Ut  
vides in hoc Virgiliano versu

*Jamque ascendebunt collem, qui plurimus*  
*urbi Imminet.*

Id est, longè procurrentes.

Ad Tropos Rheticæ pertinent istæ  
voce Poëtis maximè familiares.

*MUNUS & DONUM. Quæ voces si ad*  
*res*

res inanimatas transferantur , sunt Metaphoricæ ; si autem rebus animatis tribuantur , aut nihilo cæteris vocibus elegantiores erunt , aut Fabulam sonabunt . Metaphoricos significant in his versibus .

*Mox ubi se modicæ recrearunt munere mensa .*  
Id est , modicis cibis ; vox *munus* transferatur ab hominibus ad mensam .

*Portat odorato munera verna sinu .* Bider .  
Id est , flores , vox *munus* transfertur ab hominibus ad hortos : aut si dicas ad ver transferri , Fabulosam inducis personam , atque ita vox *munus* ad Fabulam pertinebit .

*Quod Cilicum flores quod munera graminis Indi , &c. Stat.*

Fabulam sonant ista . *Munera Floræ* , veris munera , id est , flores . *Pomona munera* id est , fructus : *munera collum* , ist est , vites , uvæ , &c. & *Autumni munera* : quæ omnia illa fructuum genera complectuntur . Ita *Cereris munera* : aut *dona* , segetes & panem : *Bacchi munera* , vites aut vinum significant .

--- Atqui non *Massica Bacche* -  
*Munera* , non illis epulæ nocuêre repostæ .  
Virg.

*Id est, vinum.*

*Dona laboratæ Cereris.* Virg.

*Id est, panis.*

**OPES**, **HONOR**, sunt voces metonymicæ, & effecta, quæ pro causæ nomine à Poëtis elegantissimè usurpantur.

*Hortorum hic calcantur opes, fertaque recenti  
Subter humus congesta, & odoris floribus  
halat.* Petavius.

*Id est, flores, qui hortos ditant.*

- - *Medio stat pectore fixus.*

*Frontis honor, roseæque decor cervicis, &c.*

Petavius.

*Id est, pulchritudo vel modestia, vel majestas, quæ frontem de corant.*

Ita honor pro ijs omnibus usurpatur, quæ sunt aliis rebus honori, & ornamento.

- - *Aut supplex aris imponat honorem.*

Virgil.

*Id est, victimas mactandas.*

*Vomeris hic, & falcis honor, hic omnis  
aratri*

*Cessit amor, recoquunt patrios fornacibus  
ensæ.* Virgil.

*Quia vomer, falx, aratum, &c. sunt ru-  
sticæ*

sticæ domūs ornementa, & honos. Ea autem dicit Poëta cessisse in censum fabricationem.

O! ubi venturæ spes non longinqua seruetæ,  
Atque genis optatus honos? Stat.

Id est, genarum lanugo.

Nec fronti vittatus honos. Subaud. Hæret Stat.

Id est, diadema.

— — — Namque ille decoram  
Cæsariem nato genetrix, luménque juventæ  
Purpureum, & latos oculis afflavit honores  
Virgil.

Subaud. Venus, quæ Æneæ oculis igneas  
quasdam inusitatæ gratiæ scintillas afflaverat.

SYLVA, quando ad frontes alicujus arboris, aut folia plantarum transfertur, est vox Synecdochica, quando alijs rebus tribuitur, est Metaphorica.

— — — Tristisque lupini  
Sustuleris fragiles calamos, sylvámque sonantem. Virgil.

Id est, frondes.

— — Tot vulnera belli  
Solus obit, densaque ferens in pectore sylvam!

Lucan,

F 5

Sub-

Subaud. telorum, quibus trajectus fuerat.

Ita Milliæus spineam Christi coronam sylvam vocat.

- - - *Pulsa horrida sylva*

*It cerebro, fixisque subit mucronibus ossa.*

Adiectiva Participia REGNATUS, TRIUMPHATUS, ERRATUS ex verbis neutrīs passīva, & à Poëtis eleganter usurpata, ad Poëticos Idiotismos spectant.

*Tu civitatem quis deceat status,*

*Buras; & urbi sollicitus times:*

*Quid Seres, & regnata Cyro.*

*Bactra parent, Tanaïsque discors.*

Horat.

*Bisque triumphatas utroque ab littore gentes, &c.* Virgil.

- - - *Stet Capitolium*

*Fulgens, triumphatisque possit*

*Roma ferox dare jura Medis.* Horat.

*Quò feror? imensam est erratas dicere terras.* Ovid.

Hactenus in superioribus exemplis indicavi, ad quem singula elegantiae Poëticæ fontem pertinerent. In sequentibus Voces tantum, & Poëtarum versus, quibus earum usus comprobatur, afferam: Tuum erit

erit ad suum singulas classem ex præcep-  
tionibus superius traditis revocare..

## A N I M A.

*Purpuream vomit ille animam.* Virgil.  
Id est , sanguinem.

*Et molles Zephyrorum animæ.*  
Id est , flatus.

## S E D E S.

*Quis novus hic nostris successit sedibus ho-*  
*pes.* Virgil.

Id est , in nostram domum.

*Tendimus in Latium ; sedes ubi fata quie-*  
*tas ostendunt.* Virgil.

Id est , novum regnum.

*Non ego Myrmidonum sedes , Dolopumve*  
*superbas*

*Aspiciam.* Virgil.

Id est , urbes & domos.

ORA in plurali numero. *oras.*

*Cum primum Iliacas Danai venistis ad*  
*Virgil.*

Id est , in Phrygiam.

*Et mecum ingentes oras evolvite belli.* Virg.  
Subaud. ô Musæ , Id est , regiones , qua-  
belli furor peragravit.

## N U M E N.

- - *Quamquam non est sine numine  
Divum.*

**I**d est, sine Deorum favore.

## F A T A.

- - *Postquam te fata tulerunt,  
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.*

Virgil.

**I**d est, postquam te mors abstulit.

*I, quo fata vocant.*

**I**d est, prosperum, qui tibi aperitur, sequere fortunæ cursum, vel, i, quo te vocat Deorum, aut, si Christianè loquamur, Dei voluntas.

## A R E N A.

*Urbi etiam magna, quæ dicitur amula  
Romæ,*

*Et Chalcedonias contra despectat arenas.*

Claudian.

**I**d est, Chalcedonicam urbem, aut Chalcedonicum littus.

*Quod genus hoc hominum; quare hunc  
tam barbara morem* (na.

*Permittit patria? hospitio prohibemur are-*  
Virgil.

Peculiaris elegantiae gratia commendat.  
Id est, ejicitur à litore, quo naufragi  
omnes accedere permittuntur.

### MATRES, JUVENTUS.

Vocibus illis utuntur Poëtæ ferè semper, quoties de ingenti fœminarum multitudine, & de hominum concursu aliquo sermo est institutus, utramque Virgilius exemplo uno complexus est.

*Illam omnes tectis, agrisque effusa juventus  
Turbaque miratur matrum.* Virgil.

*Vota metu duplicant Matres, propiusque  
periculo.*

*Id timor, & major Martis jam apparet  
imago.* Virgil.

### NOTUS CONSCIUS.

Harum Vocabulorum elegantiam etsi superius attigerim, cum diligendi Epitheta rationem traderem; eam tamen uno, vel altero exemplo hic rursum delibasse non pigebit.

*Ille fugit notam non uno vulnere dexteram.*

Jonin.

Id est, à quā multas plagas tulerat.

*Tūque o tam sancta conscientia sylva necis.*

Id est, tūque o sylva, in qua vir sanctus obiit.

## C O N F E S S U S.

*Navita confessus gelitum pallore timorem.*

Ovid.

**I**d est, præbens sui timoris indicia.

*- Vultuque Deum confessa recessit.*

**I**d est, divina quædam signa in vultu ostendens.

BIBO junctum cum fluijs, eorum accolas, totamque vicinæ regionis gentem significat.

*Et qui prima babit deprensi flumina Nili.*

Martial.

**I**d est, Afri remotiores.

*Non qui profundum danubium bibunt,  
Edicta rumpent Julia, non Getæ. &c.* Hor.

**I**d est, Germani.

## G A U D E O.

*Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.*

Martial.

**I**d est quæ vincit, &c.

CADO ad significandam victimarum cædem traducitur.

*Multa tibi ante aras nostrâ cadet hostia  
dextrâ.* Virg.

**D**O, pro permitto.

*- In tergum reppulit angues  
pérque*

Pérque humeros errare dedit. Claudio*nus*  
Id est, vipereos crines.

-- Dederatque, comam diffundere ventis.  
Virgil.

JUVAT pro delectat; vel expedit. (stra,  
Panduntur portæ; juvat ire, Doricaca-  
Desertosque videre locos. Virgil.

Signaque ferre juvat, sonitusque audire tu-  
barum. Virgil.

Rara juvant: prinais sic major gratia pomis,  
Martial.

Neu segnes jaceant terræ, juvat a Ismaræ  
b Bacho c

Conserere, atque oleâ magnum vestire Tabur-  
num d

a Id est, expedit. b Montem Thraciæ, c Id  
est, vitibus. d Apuliæ montem.

DECET, pro expedit, vel oportet.

Nunc hilares decet esse, genus, frontemque  
serenam

Otentare juvat.

STAT, pro certum est, vel ( si de homine  
agatur ) certus est ( si de fœmina ) certa  
est. Vel usurpari potest in prima perso-  
na, & significare, certus volo.

Stat laudis avitæ  
E. -

Exsuperare modum magnaque cupidine rerum Aſtuat. Petavius.

Stat fines penetrare noti. Claudianus.

Stat conferre manum Aeneæ : stat quidquid acerbi est.  
morte pati.

### SEDE O.

Cum gelido macies ; & palor in ore federent ,  
Biderm.

- - - Sedet ardua celso

Vertice Majestas. Petavius.

- - Oductaque clava trimmodis  
Ter quater adversi sedet in ore viri. Ovid.  
Si nihil ex tanta superis placet urbe relinquere  
Et sedes hoc animo. Virgil.

Id est , omnino statuerunt.

Idque pio sedet Aeneæ. Virgil.

Id est , vult Aeneas.

- - Certa sedet patribus sententia pugna.

Virgil.

### SURGO.

Nunc majus mihi surgit opus , &c.

- - - percipe porro

Quid dubitem , & quæ nunc animo sententia surgat. Virgil.

longuæ esset , voces omnes recensere , quas satis

satis multas attigisse mihi videor, ut in iis reliquarum omnium specimen habeas, & quæ de Elegantiæ Poëticæ fontibus paulò antè asserui, usu ipso videas in vocibus comprobata. Senties igitur inacum, tibi que jam minime dubium est, quin vocum Poëticarum elegantia ad unum aliquem ex iis fontibus, ac figuræ Sintaxeos, ut plurimus multus, &c. aut at Rhetoricos ut anima Sylva, sedeo, &c. aut ad poëticos Idiotismos, notus, bibo, juvat, &c. referenda sit.

Idem erit tuus quoque de sententiarum elegantia sensus, postquam me de iis dicentem audiveris. Verum antequam ad illas transeam, unum præterea de vocibus monuisse, haud erit, opinor, super vacaneum, & inutile. Neque enim præterire filentio possum earum vocum Elegantiæ mihi semper arrisisse præ cæteris, quæ Metaphoræ, voces hominum proprias ad res inanimas transferentis, dignitate splendescit. v. g.

Sic Claudio grassantem cædium furorem describit.

-- *Ultrixque manus mucrone furenti  
Duci-*

Dugitur & siccum gladium vagina recusat.  
 Vastitatem, hortis, agris, & nemoribus per  
 hyemem illatam hoc disticho Biderma-  
 nus expressit.

Cana, gelu & niveis hyemabant arva pruinis.

Et manus amissas flebat, & hortus opes.  
 Tu quoque de aquis, supra quas Christus  
 ambulasse dicitur, sic possis scribere.

Excepit famulo festigia pendula dorso  
 Unda pati dominos officiosa pedes.

Quam elegantiūs, & ad carminis Majesta-  
 tem illustriūs, dixit vir Clarissimus, quem  
 jam laudavi, quemque meritò Literati  
 omnes suspiciunt, Dionysius Salvagnius  
 Boëssius; cum ita cecinit.

Centum præterea sileant fontesq; Lacisque  
 Qui suaper varias jactant miracula terras.

Quām si dixisset; sileant illi, qui centum  
 Fontium, & Lacuum miracula per varias  
 terras jactant: spirat enim Majestatem  
 nescio quam, solito majorem Poëtarum  
 oratio, dum agunt nonnunquam cum re-  
 bus inanimatis, perinde ac si animatæ  
 essent, & iis verba rerum animatarum  
 propria accommodant.

## S E C T I O . II.

*De Poëticæ Sententia Elegantia.*

**A**D sententiæ, seu Poëticæ phraseos elegantiam multum imprimis conferret eximius vocum delectus. Si enim ea sit in vocibus, quam in superiori sectione laudabam, elegantia; Sententia ex ijs conflata vocibus, multis aspersa sit dicendi illecebris, & omniū animis cum blando quodem titillationis sensu ad blandiatur necesse est. Ab ijs elegantia fontibus ubi discesseris, occurrunt alij, è quibus non exigua venerum, & gratiarum copia ad Poëtarum sententiam dimanat. Sunt autē ij: Circum locutio, figuræ Syntaxeos, quæ in constructione positæ sunt, & quædam loquendi formulæ Poëtis familiares, & ab ijs eleganter usurpatæ.

Circum locutio dicitur 1. A veris rei aut personæ adjunctis, cæterisque etiam Iodis Rhetorices, quos in Prolegomenis delibavi. v.g.

*Rex nemorum. Libycæque Leo populator  
arena. Biderman.*

*Quid frustra nemorum Dominum Re-  
gémque fatigas. Martial.*

Id

*Id est, Leonem.*

*currit*

*Ostupuere omnes gelidisque per ima cu-  
Offa tremor.* Virgil.

*Id est, in timore correpti sunt.*

*Concretas pigro frigore ridet aquas.* Mart.

*Id est, glaciem.*

*Aspice quam densum tacitarum vellus  
aquarum,* &c. Martial.

*Subaud. decidat Id est, quam densa nix.*

Ducitur 2. Circum locutio à babulosis  
rei, aut personæ adjunctis, alijsque Rhei-  
torices locis ad fabulam alludentibus v. g.

--- *Cum primum crastina cœlo  
Punie eis invecta rotis Aurora rubebit.* Virg.

*Id est, ad primos crastinæ Auroræ radios.*

*Interea placidam redimita papavere  
frontem.*

*Nox venit, & secum somnia nigra trahit.*

Ovid.

*Id est, nox adventat.*

*Frugifer est paries, fæcundis stromata faxis*

*Collucent, murumq; nitens Pomona coronat*

P. de Bussieres.

*Ita expressit Poëta attonfas illas, & adser-  
pentes parieti, hædere instar, arbores,  
quas gallicè, Espaliers, dicimus.*

Dixi

Dixi elegantiam è figuris quoque Syntaxeos in constructione positis , in sententiam Poëticam refundi. Unum tantum hîc , aut alterum exemplum affero , cùm eas figuræ multis jam superiùs illustrârim.

*Taliter exuta est veterem nova Roma senectam.* Martial.

Hîc est figura Synedoches.

*Fortuna savolata negotio , &*

*Ludum insolentem ludere pertinax , &c.*

Horat.

Hîc est Helenismus.

De Poëticis loquendi formulis esset modò dicendi locus. Sed ne actum agere videar , & post ejusmodi formularum *Thesauros* , indices descriptos , in sylvam (ut ajunt) ligna importem , aut Soli illustrando admoveam candelæ lumen ; satis erit in præsentia , si te moneam , ut in his locorum communium , & Poëticarum sententiarm libris Inchoandi sermonem , & finiendi , incipiendi , absolvendique Epistolas similitudines , & descriptiones , de præcandi , salutandi , promittendi , & quæras formulas , si nescis , & exscribas.

## S E C T I O.

*De Amplificationis Poëticæ Elegantia.*

**A**mplificationis Poëticæ elegantia à similitudinibus, quæ Epici præser-tim carminis propriæ sunt, à descrip-tionibus, ab enumeratione partium, & à quibusdam amplificandi formulis apud Poëtas receptis petenda est.

Similitudinum Exempla se tibi ubique offerent, in cujuscumque Epici operis pa-ginam intendas oculos.

Descriptiones, vel alicujus personæ vultum, mores, ingenium exprimunt, vel rem aliquam Poëticis quasi coloribus, depingunt. Si descriptio hæreat in Per-sona, eæ magis Poësin sapient, quæ perso-nam fictam exhibebunt, ut si Famem, in-vidiā, Discordiam describas. Si descrip-tio ad Restantūm se explicet, eæ magis co-mendabuntur, quibus plus Fabularum asperseris; ut si in Horti descriptione, lu-dentem inter flores Zephyrum, ridentem Floram, & cætera hujusmodi usurpaveris. Vide, & si delicato sis palato, degusta, & mecum admirare elegantem fontis descri-ptio-

ptionem à R. P. de Bussieres suo Umbravallis Encomio mirâ Fabularum varietate distinctam.

*Tu vitro fons splendillior, cingente coronâ  
Marmorea nitidus fies mihi nobilis unda,  
Si modo fierides non exclusere Poëtam  
Fonte suo, flatusq; sacros contingere donant  
Circum auræ ludunt tepidæ, gaudentque  
madere*

*Pro silentis aquæ stillis, dum frigora captant  
Mollia quin Eurus Zephyrusque in flamina  
versi*

*Hinc inde Humorem expellunt, penasque  
vicissim*

*Mersant vorticibus : pennas videt altus  
Olymbo*

*Sol faciles, pingitq; suos influctibus arcus.*

*Exspatiantur aquis medio in certamine Cygni*

*Alisque exagitant ventos iraque fruuntur  
Pugnantum remis stantes remisque sequuti  
Quin & mirantur, quis si color induit undis  
Tam vario textu subita tam splendidus arte  
Irradiat. Sua sunt etiam spectacula Nocti  
Gaudiaque, & puro conspirant sidera fonti.  
Postquam Luna polo carentem argentea  
frontem*

*Ex-*

Explicit ventique iras posuere silentes,  
 Natades ex Arari suras & brachia nuda,  
 Succinctaque stolas trepidant agitare choreas  
 Gramina per, mollesque herbas in margi-  
 ne funtis,

Nec Faunos satyrösue timent, nam tecta  
 Pudica

Horret turba procax, Salientum è plau-  
 fibus humor (bis.)

Liquitur, & siccis stillans infunditur her-  
 Nunc toto prona in latices se corpore mer-  
 gunt,

Depurgantque amnem luculentum, hinc  
 ora fluentis

Pulchra nitent; clarâ fulgent in imagine  
 vultus

Invida respectat Phœbe, maculásque latentes  
 Abluat; igniferi prohibet regnator Olympi.

Enumerationis multum etiam Poëticam  
 amplificationem ornant, si eas multæ va-  
 rietatis gratia commendet. En exemplum  
 nympharum flores legentium per enumera-  
 tionem, hujus varietatis gratiâ, condi-  
 tam amplificatum.

Hæc implet lento calathos è vimine nexos,  
 Hæc gremium, laxos degravat illa sinus.

*Illa legit Calthas, huic sunt violaria curæ,  
Illa papaveras sub secat ungue comas.  
Has Hyacinthe tenes, illas Amaranthe  
moraris,  
Pars Thyma, pars Rorem, pars Melilo-  
ton amant.* Ovid.

Ovidiano Exemplo attexo aliud ex eleganti, & erudita sylva Poëtica, quâ P. Franciscus Menestrier Festos celebravit Delphini Natales. Ibi præter alia multa ingeniosè admodum excogitata, Princes Gallici nominis Heroes, è Regijs Delphini Majoribus, ad ejus accedunt cunas, ut heroicos spiritus, & avitarum laudum semina in tenerum nepotis pectus insinuent: Hanc autem Regum enumerationem vide, quantâ varietate distinxerit Poëta eximius.

*Hos inter Regale genus, tua sceptr'a potiri.  
Gallia, succedunt Heroes stemmate longo.  
Jam Caroli, Henricique & nomina ma-  
gna, Philippi*

*Insinuant animos, & grandia facta Nepoti.  
Porrigit inventa Clodovæus Lilia parma,  
Atq[ue] ancile Sacrum, Cœli venerabile pignus  
Appendit pueri cunis, & basia libat.*

Insignis trabe à Pipinus stemmatis auctor  
Alterius, Regumque Parens Martellus  
eburnum,

Auratumque ferunt in juris Symbola  
Sceptrum.

Tum primus regale decus numerare pa-  
rentem,

Cui dedit indigenas inter precerésque tueri,  
Atque Palatinos inter censere dynastas,  
**DELPHINUM** salvare jubet, subjecta  
que cunis

Sceptra decussatim pueru diuturna precatur  
Incedit Tyro splendens Lodoicus in ostro,  
Ille cui sacros Flamen concessit honores.  
Et dedit esse parem superis, arásque tenere.  
Qualem micat jubar ex oculis? quæ lumina  
spargit

Innumeris tir cùm radiatus tempora gem-  
mis?

Incumbit totus pueru, sensimque capacens  
Insinuans animam divinam instillat amor,  
Et jubet esse pium facient quemfata beatum,  
**Musarum** Franciscus amor, titulisque  
superbus

Ipse suis, petit esse suo dilecta nepoti  
Otia Castalidum, & sacri Mysteria Phœbi.

Hen-

Henricus manibus teneris accommodat  
ensem,

Et videt in vultu vestigia certa futuri.

Quantus erit puer, exclamat, quōt fata tuo-  
rum

Imples quondā ridentibus editus astris?  
Exoreris dilectus Avis, Cœlo auspice terras  
Ingrederis, Sanctamque diem vagitus  
imples.

Compensas & nate moras, quas lenta pa-  
renti


Formando natura prius, longoque labore  
Attulerat; facili superans obstacula nisu  
In lucem traheris decimi post foedera tecti.  
Sis ataro Major, Cognominis etymon imple,  
Quodvirt⁹ animi infragilis, ferroque parata  
Sceptra dedere mihi, sic tu duo nomina  
junges:

(uno:  
Meque, Patremque simul titulo miscebis in  
Et Magnus Lodoicus eris: cape nobile  
ferrum,

Sæpè quod effuso tinxerunt vulnera tabo.  
Quod tentavit avus, quod Patris Martia  
Virtus

Promovit, captoque insistens arduus instat:  
Perficies; tenamque manet pars altera laudis.

De Poëticis loquendi formulis, à quibus etiam non exiguum accedit amplificationi ornamentum, nihil est, quod dicam aliud, quam quod de ijs, quæ sententiam illustrant, paulò antè monui. Te igitur ad Poëticos Thesauros, & locorum communium libros de ijs formulis conscriptos mitto, atque ut eos consulas author sum. Ita scilicet pulcherrimas disces negandi, affirmandi, proponendi, invocandi, comparandi, optandi, deprecandi, gratias agendi, & cæterarum hujusmodi rerum formulas.



## CAPUT V.

### *De Numero.*

**P**OËTICI numeri modos, & suavitatem Poëtarum potius lectio, quam præcipientis Magistri vox, & longa præceptorum series te docebit. Quapropter de Poëtico versuum numero nihil omnino præcipere initio apud me statueram: at unum posteà venit in animum, quod non æquè fortasse ab omnibus in Poëtarum

rum lectione adverti posset. Illud nimirum, enitendum esse, ut Numerus carminum, in ijs præsertim rebus, quæ magis sub sensum cadunt, cum eorum versuum significatione conveniat; & tuam mentem non tantum verba, sed etiam verborum numerosè cadentium sonus exprimat. Ea in re ut in cæteris omnibus, plane, admirabilis, & divinus extitit Mantuanus Poëta noster.

Quid enim ad sedati animi jenitatem exprimendam illo versulenius?

*Olli sedato respondit corde Latinus.*  
Quid ad trucem efferati animi ferociam significandam illo hemistichio, crebro caninæ literæ concursu aspero, accommodatius?

--- *Fremit horridus ore cruentus.*  
Quid ad summam celeritatem imperandam illo versu incitatius?

*Ferte citi ferrum date tela, scandite muros.*  
Quām egregiè equitantium hominum sonum, ac numeros hic versus imitatur;

--- *It clamor, & agmine facto*  
*Quadrupedante putrem sonitu qualit*  
*ungula campum.* Virgil.

Quam rectè hominum de currendi laude,  
certantium, currúsque agentium in cir-  
co, celeritatem in cursu ineundo, metum  
amittendæ palmæ , alternas currentium  
vices, quibus prout in depresso, aut elatio-  
ri spatio, modò humiles, modò sublimes  
apparent, versus isti suis numeris, penè  
oculis subjiciunt.

--- Cùm præcipiti certamine campum  
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus.  
Cùm spes arrestæ juvenum, exultantiāque  
baurit.

Corda pavor pulsans; illi instant verberi  
torto,

Et proni dant lora; volat vi fervidus axis,  
Jämque humiles, jämque elati sublimè  
videntur

Aëra per vacunus ferri, atque assurgere  
in auras.

Quàm præcipiti celeritate numerorum,  
ventorum ex antro suo prorumpentium  
impetum hi versus describunt.

--- Ae venti velut agmine facto;

Quâ data porta, ruunt.

Quis non existimet videre se Fabrorum,  
massam ferri super incude versantium, &  
mal-

maleis subigentium motum , nisum , & numeros , cùm hos legit versus .

*Illi inter se se multâ vi brachia tollunt  
In numerum , versantque tenaci forcipe  
massam .*

*Quis maestati , & cadentis bovis non im-  
petum , sed penè pondus , & sonum ( ut ita  
dicam ) sensu percipiat , cùm Virgilium  
audit dicentem .*


*Sternitur , ex animisque tremens procum-  
bit humi bos .*

*Quis denique , ut hîc finem imponam , &  
ne innumera nostra sine numero , & lege  
excurrat oratio , quis , inquam , non admi-  
retur decidentis grandinis strepitum æque  
in hoc Virgiliano versu , ac super tecta  
crepitantem .*

*Quàm multa in tectis crepitans salit hor-  
rida grando .*

F I N I S.

Ad Majorem DEI Gloriam.



# TYPOGRAPHUS LECTORI.

**N**e vacarent pagellæ, ex P. Jac. Masenij  
Pallæstra ligata adjicimus sequentia.  
**P**ræctica amplificandæ elevandæque phrasis  
Poëtica demonstratio.

**U**t præticâ facilitate ad rem in elo-  
quentiam soluta, quæm ligata ma-  
ximè arduam, ducaris, lubet obviâ  
rephrasi, per exempla, alij copiam simul  
atque ornatum inflexâ, præire Sit hæc de-  
trivio: *Est homo doctus.*

In hac neque verbum neque substanti-  
um, (ut quæ non admodum multas hoc  
loco sæpe, & alibi variationes admittant)  
expendemus. Cùm præcipua varietas, &  
copia ab adjuncto *doctus* petenda sit. Quod  
à Philosophis prædicatum dicitur, est que  
tanquam vestis quædam personæ ornan-  
dæ, excolendæque attributa.

Ut igitur hoc adjunctum *doctus* extol-  
las variando, & amplifiques.

1. Resolve illud in alliud ipsi cognatum substantivum, nevōque hoc epitheto ornauit *Doctrināque potens*, ex quibus utrumq; deinde sæpius variare poteris, ut pro *doctrina pone*, arte, musis, ingenio, eruditione, eloquio, facundia, &c. sic & *potens* mutabitur, si dicas *illustris*, nobilis, excultus, promptus, excellens, eximius. &c. unde exsurget. *Nobilis eloquio*, vel *illustris ab arte* vel *Musarum excellens* &c.

2. Adjunge alterum in genitivo substantivum. Ut *Doctrinæ studijs*. *Facundiæ linguae*. *Ingenij cultura literarum palastra*, vel *apex*, vel *messis eruditionis*, *sementis Phæbi*, *Camænarum delicium*, &c.

3. Hæc deinde suis iterum illustres epithetis, & mirificè crescat orationis dignitas. Ut *doctrina*, *admiranda divina*. In quibus illa excellere supra docui, quæ vel à locis sumutur, ut *Attica*, *Romana*, *Latia*, *Laconia*, vel à personis, ut *Maroniana*, *Tulliana* &c. Quorum varietatem & copiam cum phrasiologya ex iisdem nata, alibi suppeditavi. His expensis ad plenum etiam in heroicis versum, tenuissima phrasis extolli poterit. ut

Hunc divina rapit Latiae facundia lingua.

4. Hæc universa per oposita tam substantivorum, quam adjectivorum exponi poterunt. Cùm videlicet illa de subjecto negaveris: Ita, cum docto opponatur indoctus, vel rudis, ignarus, inscius, adeoq; & ignorantia, ruditas, inscitia &c. eadem, quâ ante, variandi ratione, per opposita, licebit progredi Ut Nequaquam rudis est. Procul ignorantia turpis. Non hunc infania linguae præpedit.

5. Per tropos illustratur, extolliturque magnopere oratio, apud Poëtas præcipue id præstat Synecdoche. Ut doctum caput, charum Mufis caput. Mafarum studijs excultum pectus. Vox ævi divina sui. Magis vero etiam metaphora hoc potest, quæ modo sola adjectiva ornat: ut, cui lactea fandi copia, Ambrosiæque sonant ex ore loquela: modo sola excusat substantiva, ut eruditioñis lepos, eruditorum alpha, princeps primipilaris. Suadæ delicium, Mafarum eorculum, nutritius, alumnus: modo (quod frequentius est) utrumque ornat, simul cum ipso verbo altero tamen substantivorum in propria significatione relicto

velicto, ut divite largus ab ore Eloquij profundit opes.

6. Perficitas rerum, de quibus agimus, & præcipue virtutum ac vitiorum, personas, quibus actionem aliquam tribuimus, aut certè circa illas instituimus. Quod rarum plerumque, atque ingeniosum est. Sic Bacchus pro vino, pro sole Phæbus, pro literis Musæ, Pallas - Sapientia, Suda, aut Pytho, Phæbus, item ac Mercurius, & hinc, plenum Pallade pectus.

*Illum Castalia respexit ab arbore Phæbus  
vel Hanc alat tentro nutrix sapientia lacte  
vel Insidet labrys Pytho, & Romanum liquat,  
atticumque rorem.*

*Affundit Apollo liquorem Pincernano &  
ris meri.*

In his, ut aparet, personæ fictæ actio tribuitur. Potest & circa illam actio personæ veræ affingi: ut tenero qui miles in avo, Musarum sequitur vexilla, aut castra vel Phæbeis miles in armis, laurea ferta gerit. Palam est, quantum hæc faciant ad phrasin Poëticæ exornandam.

7. Ad Poëticæ locutionis varietatem, raritatemque ac dignitatem facit, Fabulas

las ad rem , de qua agis, exploratas habere : ut sunt in præsenti materia in primis, quæ de Phæbo , Pallade , Musis, quæque de locis his consecratis feruntur : ut de monte Parnasso, & Helicone in Phocide regione, de Pimpla & Libethra in Thracia, Pierio & Pindo in Tessalia : tota denique regione , Aonia : tum de fontibus Ca-stalia , & Aganippe, quorum hic in Par-nasso , à Bellerophontis equi ungula sit excitatus : unde Medusæus , Caballinus, Pegasus dictus est. Quæ cuncta yatibus variandæ extolendæque phrasis sunt ar-gumentum. Unde Poëta doctus appelle-latur : *Biverticis incola montis.* Qui toto Phocidos æstuat furore , Bellerophontæis ora rigavit aquis. Palatia Phœbi , Musarumque domus docto pætuere Maroni. Castali-dum conviva frequens, cultor que Minerva.

8. Ratio quoque syntaxis à Græcis quandoque, præsertim in Lyricis, & heroi-cis , ad Latinorum usum traducta gra-tiam cum varietate conciliat. Ut *cupidus tractare Maronem.* *Diserta fari promptus tua scripta legunt Musas tractare potentis.* *Sectatur amana Musarum.* In quo facun-dia

dia magnum est. Non hic Musarum pugnat amori Eloquij laudem potitur Fungitur officium diserti Turpis inscientia desinit, acceptus musis. Hæc tamen ejusmodi sunt quæ parcè, & salis instar ceteris condientis admiscenda erunt. Cùm crebra apud Statuum insipidam nonnunquam orationem reddant, ut supra visum est.

9. Oratio per comparationes diducitur simul, atque illustri eloquentia assurgit. Idque modò strictim: ut *Carmina scribit*

*Qualia Cecropia non deditur Athenæ,  
vel Possidet hic Ciceronis opes, doctique Maronis profluit eloquio.*

Modò etiam fusius tam in simili, quam exemplo: ut

*Qualis in exhaustâ fratribus dum luce coruscat  
Noctivage astrorum princeps, stellasq; minores  
Despicit atherio Phœbe radiantior igne.*

Talis erat, docto reliquis facundior ore.

vel -- Olim divinum Roma Maronem  
Obstupuit temui dum carmē arundine pangit,  
Heroūmque tubā landes sonat æmula tandem  
Plectrarapit vates gaudetque Marone secundo  
Posteritas, tantoque viri dependet ab ore.

*Roma stupens &c.*

10. Illæ

10. Illæ orationis figuræ quæ ad ornatum potius, quam affectum comparatae sunt, mirificè sermonem amplificant, simul & extollunt. In quibus prima, & maximè obvia Hyperbole.

*Hic novus Amphion facundi viribus oris,  
Attonitum rapuit perdēsa pericula vulgus  
Oblitum necis ac vitæ. Mars fulmina jaetet,  
Telorumq; globos flaminisq; minacibus obstet,  
Eloquij vis major erit: perrumpet inermis  
Armatorum aciem, superabunt fulmina  
linguae.*

Opportunis etiam fictionibus eadem hyperbole ornati, excolique poterit.

— — — — Citharam tibi victus Apollo  
Obtulit, indulxitque suas Cyllenius alas,  
Et virgam quam dextragerit; tibi Pallas olivā  
Ægidaque ac galeam cessit, iam numine plenus  
Cum primâ teneræ vernant lanugine mala,  
Multorumque instarmeruit facundia victrix  
Rostra triumphali Romana tenere quadrigā,

Ceterū ornant imprimis, diducuntque orationem figuræ, quæ circa descriptionem rei per suas partes explicatae versantur in quibus eminent Hypotyposis, quæ, rerum forma ita oculis subjicitur,

ut

ut spectari potius, quam audiri videatur;  
 & Prosopopoeja, quâ vel rebus mutis, &  
 sensu carentibus vitam, actionemque tri-  
 buimus, vel mortuos etiam ad vitam ser-  
 monemque revacamus. His Apostrophes  
 addit, per quam sermo oratoris ad aliam  
 rem quampiam, etiam inanimam conver-  
 titur, estque figura gravis, etiam ad af-  
 fectus accommoda. Talis Apostrophe  
 est in praesenti materia.

*Vos testes appello Lares, penitusque recessus  
 Musarum, & facili devota sacraria  
 Phœbo,*

*Dicite (namque est vester bonus) qua tan-  
 ta Poëtam*

*Otia sollicitent, quæ vis compellat aman-  
 tem*

*Palladias Latijs curas impendere chartis?  
 Vos nocti ereptas tenebras, longisque sopore  
 Proscriptum excubijs, latebrâisque evolvi-  
 te vatis*

*Inter Apollineas lauros, & Phocidis umbras  
 Sequitur in eadem descriptione hypoty-  
 posis.*

*Scilicet impensi vestigia rara laboris  
 Servatis memores placidâ nunc sede re-  
 ceptum*

*Nunc*

Nunc stantem tenuere libri, profusus in  
unum

Omnis sensus opus, solers industria fron-  
tem

Contrahit, intentoque sedens vigilantia  
vultu,

Et tacitis, nunquam violata silentia curis  
Composuere virum. Sic toto pedore Pha-  
bum

Accipit, & blandis sua dividit oria Musis.  
Addet nunc etiam Prosopopœjam.

His olim puerum nutrix facundia verbis  
Alloquitur: nostris quondam celebrabe-  
re castris

Eloquio felix, multaque exulte per artes  
Musarum dilecte cliens, tu viribus oris  
Ausonipum franges populos, multaque  
solutos

Libertate animos verborum pondere fle-  
tes, &c.

Stylo grandiori, per figuras verborum  
potissimum elevato, in hac materia locus  
non est; cum hic in rebus effectui gravio-  
ri obnoxijs tantum fit adhibendus.

